SIGNATORES
REGNI
Signati meritorum laude,
Consignati Honore ad Gloriam
sivè
CANCELLARII
&
PROCANCELLARII
Regni Poloniæ
(quibus adjuncti Supremi Thesaurarij Regni)
Publicæ Luci ad Cultum, & Famam
EXPOSITI.
Atq;
Signatorum Primo, Senatorum Dignissimo
Ministrorum Optimo
ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO D. Domino
JOANNI in Słupow
SZEMBEK
SUPREMO REGNI CANCELLARIO
Capitaneo Łomzensi &c: &c: &c.
Cum demisso debiti obsequij homagio
PRÆSENTATI.
A R. P. ADAMO NARAMOWSKI S. J. Theologo.

VARSAVIÆ Typis Coll: Soc. J. Anno Domini 1727.

CÆlesti opus est munere vindicare ab obscuro oblivionis situ, quos æternitas ipsa injuriosæ temporum vetustati subtrahere nequit, fama verò, Cælo, terrâq; immortales fecit. *Andreas Chrysostom: Załuski Episcop: Varmien: in præfat: ad Lectorem tom:* 1.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Loci Ordinarij.

JOANNES JOACHIMUS de Czekarzewice

TARŁO

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Posnaniensis.

Significamus præsentatum Nobis fuisse Librum cui Titulus: SIGNATORES REGNI per Admodum Reverendum Religiosum in Christo Patrem ADAMUM NARAMOWSKI Societatis JESU Provinciæ Litvanæ erudito Calamo conscriptum; petitumq à Nobis, quatenùs facultatem Typo imprimendi, eundem concedere dignaremur. Nos petitioni ejusmodi uti justæ annuentes, ac publicâ luce dignum, utilitatiq; publicæ proficuum esse Librum eundem arbitrantes, quatenùs typo impressus communi exponatur usui, ac commoditati, facultatem dedimus, ac concessimus. In quorum fidem &c. Datum Varsaviæ Die 28. Februarij Anno Domini, 1727.

JOANNES Episcop, Posnan: m.p.

FACULTAS
Reverendi Patris Provincialis.

CUm Librum, qui inſcribitur: SIGNATORES REGNI à P. ADAMO IGNATIO NARAMOWSKI Noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem, fructuosè edi poſſe judicaverint. Poteſtate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre Noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO præfatæ Societatis Præpoſito Generali concedo, ut Typis mandetur. In cujus rei fidem has literas manu mea ſubſcriptas, Sigilloq; munitas dedi Pinſci die 10. Februarij Anno Domini 1727.

LADISLAUS DAUKSZA
(L.S.) Societatis JESU
Præpoſitus Provincialis Litvanæ
Provinciæ m.p.

Ad ILLUSTRISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM D. D. MARESCHALCUM REGNI.

AVitas parvis paginis concede Pennas, qui immenſa illa Virtutis & Gloriæ Olympia pennis non paſſibus emetiri ſtudes. Summe

Miniſtrorum Arbiter, Procerum Digniſſime, Aboriginum Tuorum Nepos Illuſtriſſime. *Permitte hanc meam exilem paginam in Tuas venire manus, Illuſtriſſimarum utiq; Tuarum Cultricem Pennarum, adeoq; jam Tuam, & dum Tua eſt, Maxima eſt, quæ Te Summis Majorem, Majoribus Tuis non minorem, Maximis parem dùm videt; ſcribit: dùm prædicat, colit. Exolvit illa, quod & mea imponit tenuitas, & Tua immortalis exigit Amplitudo, quæ quantò à terris cælo eſt propior;*

tantò eſt dignior in terris nullibi celari. Patere exiguarum laudum compendia, qui dùm Virtute, & Merito Summus es; omnium Compendium es, adeoq; Tuis paginis non deeſſe debet debiti elogii genus, ubi Maximi Tui in Patria Meriti non deeſt Decus. Quidquid enim hucusq; egiſſe viſus es, & nunc agere videris; Virtutis compendium, Patriæ delicium, Naturæ prodigium, fortunæ faſtigium, Honorum terminus, Summorum Amor, Maximorum decus, & diceris, & ab omnibus co-

leris. Fatentur id ad gloriam Tua præteritorū acta meritorum, monſtrant theatra præſentium, Auguria divinant futurorum inſinita. Adeoq; sūma dico omnia, dùm Te Illuſtriſſimum ad cultum produco JOSEPHUM, *quem dùm erudita Pallas ablactavit, Mars ferro paſtus enutriit, probitas efformavit; Honor etiam, qui debetur Maximis, debuit ſe Tibi ſummo Maximorum Statori, & jure merito dedit. Et dum bellator Mavors Magnitudinem, Magnanimitatemq; in Te repoſuit, Themis*

ſuam appoſuit Sapientiam, ut digniùs prævaleres aliis, qui dùm meritum ad gloriam alis, prævales cæteris. Utrumq; in Te & Martis, & Themidis decus miratur Pallas, in erudito armata, in armato erudita, Summo Tibi Miniſtro utrobiq; ſupremè miniſtra. Undè dùm Tu ILLUSTRISSIME DOMINE *emineres, ut ſe illa in Te erigeret, ita in Tua una manu tractavit in Te Infante pennam; ut nunc in tanto Viro videat, dignè à Te tractari Scipionem, & adoret. Altera Tua in*

manu figit Themis, grandis Ministerii acinacem, bonorum tutamentum, malorum malleum, hostibus Patriæ, ubiq; semper formidabilem. Sic tamen vibrato Ministerii Tui malis minaris acinace; ut bonis affabilitate oris, comitate morum, ad Tui blandiaris amorem. Ille enim est à fronte, & oculo affabilitatis Magnes, quo & maxima Nomina, Terrarum Lumina trahis in Tui cultum, in amorem propè & Numina. Alios tenet fortuna, Tu fortunam & minis obluctantem ducis, quò Maximo JO-

SEPHO lubet, & ipsa jubet Virtus.

Si Sangvinem Illustrissimorum Aboriginum specto, hic in illis, aliis Major, in Te Maximus: rubet tenuis penna ad tantæ Majestatis Rubiconem, magis ipsa alto silentii cultu adorans, circumscribi exoptat, quàm sufficienter exprimere (ut possis cum meritis describi) audet. Tangere tamen, aut potius pennam intingere, non tamen ex toto Purpureum Illustrissimi Sangvinis rimari pelagus, nè succumbat, audet pagina, cum

pagina Tuarum demiſſus PENNARUM *Cultor, ubi in ipſo ſæculorum, pariter & Originis Tuæ margine profundum Illuſtriſſimi Sangvinis advertit altifundium. Octingenteſimus enim à Chriſto Nato Annus Illuſtriſſimos* MNISZKONES *dùm orbi protulit, ſtatim grandes fecit, ut ex domeſtico* Mniſzkovianæ *Domûs Archivo latè patet. Claruit Imperium, dùm* VANDALINUM MNISZECH *Ducem Supremum Exercituum coluit, & dum eundem enutrivit Germania; Germa-*

niam Bellator ipſe & bellatricem fecit, & victricem. CAROLO MAGNO *Imperatori ſummè charus, viciſſim & ipſi Carolus. Hic* VANDALINUM *ſummis Honoribus,* VANDALINUS *Cæſarem maximis decoravit victoriis, uterq; ſeipſum ad Gloriam. Nec vicina Imperio Polonia hâc Gloriâ caruit, dùm Anno* 1508. MNISZKONIBUS *inclaruit. Sub Sigiſmundo I. primus* NICOLAUS, *Tuus,* ILLUSTRISSIME DOMINE, *Abavus Poloniam poſtquam ſuam Patriam fecit; in Po-*

lona Patria mille merita, quæ Eum coronant, reliquit, sicque illicò inclaruit, ut NICOLAI KAMIENIECKI, *Palatini Podoliæ, Supremi Ducis Exercituum Regni Filiam in thori sociam ducere promeruerit. Sic summi sociantur maximis. Nec degenerem Hic à sua Gloria, à sua Virtute procreavit Filium* GEORGIUM MNISZECH *Palatinum Sandomiriensem, Tuum,* MAGNE IRENARCHA, *Proavum, qui ductâ in consortem Hedvigi* TARŁOWNA, *summæ in Polonia*

Domûs Filia, illam orbi edidit MARINAM, *quæ dum Caro Moschoviæ cessit in Sociam thori, etiam successit in Sociam Throni. Sed nec, præter Illam, absq; filio fuit: Sarmatiæ,* FRANCISCUM *Castellanum edidit Sandecensem, jam propiùs Tuum Avum, qui recta origine ex* DRUZYNARUM *Stirpe Illustris:* BARBARÆ STADNICKA, GEORGIUM MNISZECH, *Palatinum Volyniæ jam Tuum edidit Progenitorem. Quot Tuos lego Aborigines, tot dignissimos, tot*

maximos adoro Senatores.

Si Maternam ſpecto Stirpis Tuæ lineam; hæc pari, cum Paterna, ductu Illuſtriſſima eſt. ANNAM CHODKIEVICIAM, JOANNIS *Caſtellani Vilnenſis Filiam, Matrem Tuam:* SOPHIAM PACOWNAM, STEPHANI *Procancellarii M. D. L. Filiam, Tuam Maternam Aviam:* MARIANELLAM RUDOMINOWNAM, *Capitanei Niderpol: Filiam, Tuam Proaviam:* WOŁOWICZOWNAM, *Epiſcopi Vilnenſis Sororem, Abaviam directo*

Illuſtriſſimi Sangvinis profluxu in Te ad Gloriam veneramur.

Et ſic dum ſublimi feris ſidera vertice, ſublimes in Regno conjunctas Tibi tenes Domos in Polonia & Litvania vix non omnes, TARŁONUM, LUBOMIRSCIORUM, LESZCZYNSCIORUM, CHODKIEVICIORUM, WISNIOWIECCIORUM, SAPIEHARUM, STADNICCIORUM, OGINSCIORUM, CZARTORYSCIORUM, WOYNARUM, JORDANORUM, SIENINSCIO-

RUM, &c. &c. &c. *quorum omnium ut maxima ſunt Nomina; ſic in Te colligato Nomine terreſtre ad cultum adorant Numen: quod dum hæc tenuis celebrat penna, ſub Illuſtriſſimam Pennarum Tuarum Umbram, redivivos ex ſepulchralibus Umbris profert Regum Præduces, Miniſterii Tui Anteceſſores, qui dum ſe Tuis ſiſtunt palpebris; in Te reviviſcunt, qui ſingulorum Anima, omnium compendium Virtute & Merito unus es. Admitte itaq; quod Tuum eſt, & dum Tuorum Anteceſſorum*

rum huic me demiſſus cultu adſcribo opellæ; me totum, cum tota Religione pro Tuo adſcribe, qui quidquid ſum, Tuus ſum

Illuſtriſſimæ Excellentiſſimæ

Dominationis

Devinctiſſimus Servus

ADAMUS NARAMOWSKI
Societatis JESU.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Rndissimi D. D. Loci Ordinarii Posnaniensis.

JOANNES JOACHIMUS de Czekarzewice TARŁO, *Dei, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ Episcopus Posnaniensis.*

SIgnificamus, Præsentatum Nobis fuisse Librum, cui titulus: AURORÆ SOLIS SARMATICI, per Admodùm Reverendum Religiosum in Xto P. ADAMUM NARAMOWSKI Soc: JESU Provinciæ Lithvanæ, erudito calamo conscriptum, petitumq; â Nobis, quatenus facultatem typo imprimendi, eundem concedere dignaremur. Nos petitioni ejusmodi, uti justæ annuentes, ac publicâ luce dignum, utilitatiq; publicæ proficuum esse Librum eundem arbitrantes, quatenus typo impressus, communi exponatur usui, ac commoditati, facultatem dedimus, ac concessimus præsentibus literis Nostris. In quorum fidem *&c.* Datum Varsaviæ Die 28. Mensis Februarii, Anno Domini 1727.

IOANNES EPISCOPUS Posnaniensis. mp.

FACULTAS

Reverendi Patris Provincialis.

CUm Librum, qui inscribitur: AURORÆ SOLIS SARMATICI *&c.* à P. ADAMO IGNATIO NARAMOWSKI, Nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem fructuosè edi posse judicaverint; Potestate mihi facta ab Admodùm Reverendo Patre Nostro MICHAELE ANGELO TAMBURINO, præfatæ Societatis Præposito Generali, concedo, ut Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, videbitur. In cujus rei fidem, has literas manu mea subscriptas, sigilloq; munitas, dedi Pinsci, Die 10. Februarii Anno Domini 1727.

LADISLAUS DAUKSZA Societatis IESU Præpositus Provincialis Litvanæ Provinciæ. mp. (L.S.)

Ad Jllustrissimum, Excellentissimum D. Dominum Supremum Regni Cancellarium.

ADmitte ad *sæculorum memoriam, ad Tui cultum,* Procerum Dignissime, Ministrorum Lectissime, Aboriginum Jllustrissime, *admitte, quòd jam in Te admisit Honor,*

a   *quòd*

quòd Tui præcedanei cum Honore admisê-
re Antecessores. Cancellarios Regni per
se Maximos, per Te Majores, Tibi supplex
fero, quid de Te, (qui eorum sequax es)
referam? ipsa eorum docet vitæ Synopsis,
quorum Virtus Tuæ Vitæ norma est, imò
Tua porrecta ad cultum vita illorum spe-
cula est. Quidquid enim boni, quidquid o-
ptimi in se conclusêre omnes, Tu solus totū
in Te concludis, unicum Virtutum compen-
dium, singulare Principis imò singulorum de-
licium. Cancellarios fastigio summos Avi-
to Nomine Maximos Magno JOANNI
Cancellario, à Majorum suorum Nomini-
bus Illustrissimo, à Virtute præstantissimo,
à labore infatigabili, à morum suavitate
affabili, à gratiosa demissione cuiq; accessibili
quod suum est reddo, inq; Tuum Illustrissi-
me Domine depono sinum, in cujus sinu pro-
bata

bata

bata Tua munere, labore, Virtus, quid-
quid dotum in alijs habuit, in te JOANNE
reposuit. Si Virtus coli semper est digna,
Te singulari honore colere mandat, quem
dignissimum, quia omni morum excellentiâ
præstantissimum Polonia videt, & stupet, Vi-
cinia invidet & colit. Antecessores Tuos
Tecum Tibi met cum cultu præsento, non
quòd Te hi Virtute antecesserint, cum Tu
eâdem præcesseris, sed quòd annis anteeant
quos sequendo, compositâ morum modestiâ
præis, adeòq; præcellis. Non fucatæ id laudis
à me argumentum est, ipsa Tua dignè proba-
ta id loquitur vita, & tacendo fatetur, quòd
posteris sæculis non tacebit, quàm pulchrè
loquendo dixeris, quàm & religiosè & glo-
riosè procedendo vixeris. Erigit Roma Or-
bis Caput, triumphale Tibi Capitolium, imò
supra Capitolium Te erigit, dum oculis nō

 vi-

visum sed à fama & gestis summopere cõmendatum BENEDICTUS XIII. *gratiosis benedicens literis, Sanctissimus pientissimum, convenienti laudũ evexit encomio. Quid diceret! si Te oculis spectaret, imò quid non in laudem Tui edissereret, si Te innatâ compositum modestiâ, gravi sed svavi differentem eloquio, moderati animi præstantem temperie intueretur. Coronas Majores Tuos, qui dum coæquant Maximos, Tu illorum es Maximus, quem dum pro merito Polonia colit, Roma religiosè approbat.*

Originem Majorum Tuorum non reproduco, quam in tot Libris & fastis adorat Orbis. Henricus VII. & Carolus IV. Imperij Cæsares grandibus innuerunt Privilegijs, quidquid Tui gesserunt ad gloriam, reliquerunt ad laudem Aborigines. Maximum enim Imperij decus fuit clarere in Imperio.

Sed nec Liliata Gallia Rosis invidit, cùm eas admisit, imò hæc expalluit dum Aureatæ Militiæ Miles Henricus SZEMBEK, *Avitas Rosas Victrices fecit, imò dum hostes animosè tinxit sangvine, pallorem Galliæ, ad gloriam rubendo extinxit. Sed quid frustra alienis ab oris commodare decus, quod Domi sat largè effloruit. Polonia Rosinorum adeóq;* SZEMBEKORUM *alumna est & nutrix, hi crevere in illa, hæc crevit per illos, utriq; invicem per seipsos. Si spectas Purpuratorũ in Tyaris scilicet Sacrorum Senatorũ sacrariũ, maximi erant, sunt, eruntq; imò & summi. In* Stanislao *jam à terris cælis reddito, & sangvinis Tui & Virtutis Fratre Sarmatia coluit Primates verè à pietate sacros, in* CHRISTOPHORO *Germano itidem Fratre Tuo, Principes Varmiæ in Polonia, Germaniâ dignos, quia*

probos pietate, probatissimos Virtute Praesules adorat; Cujus solicitudo pro Patria eò gloriosiùs quô & animosiùs & zelosiùs elucet in Curlandia. Agit hic Antistitum Princeps & Curlandicae Commissionis Praeses, quòd agere docuit; intrepida prudentia, quod agere debuit; perspicax optimi Senatoris vigilantia, quod decuit. Monstrat se esse vigilantissimi Cancellarij intimum fratrem, utriusq; enim virtus est, vivere Patriae non sibi. In altero CHRISTOPHORO Patrueli Fratre Cujavienses videt, & zelosos laudat Antistites. Praetereo Posnanienses, Premislienses, Chełmenses &c. Suffraganeos Cracovienses, qui dùm in his stallis vixere ad gloriam, inscripsere sua facta fastis ad immortalitatem.

Etiam saeculis Coronatas saecularis Senatus

tus indigitat dignitates in Illustrissimo Genitore Tuo FRANCISCO Castellano Camenecensi, cujus dato etiam, si minuerentur merita, quae tamen maxima extant, satis tamē immortali relinqueret Famae, quod hujus Successorem & summum & probum reliquit JOANNEM Signaturae Ministrum dignū aeviternè signari ad gloriam. In Illustrissimo Castellano Visliciensi viget nunquam extincta Senatûs gloria, quam auget. Praetereo demisso cultu Majores Regni, Palatinatuumq; Officiales Maximis fastigijs dignos, in illis enim Te omnibus vides, & in Te omnes invenis Illustrissime Domine. Tu unus in omnibus, in Te omnes expressi, aeviternam inscribunt famam & gloriam, qui omnium coronamentum, & gloria justè diceris. Nec ego plùs de mea exili laude addo, nisi illud quod Tuum est. JOANNEM video

& Maximum cerno; Cancellarium audio, & dicere audeo, quis Major JOANNE? dicam ſanè quod credo: In te uno omnia Cæſar erat. *Audax elogij mei genus, ſed verax, dum omnia quæ ad immortalitatem ſunt, & audes & potes, & facis. Nolo ultra arcanum ſacri pectoris Tui rimari ſacrarium, nè præ foribus excubantem Tuam modeſtiam magis temerariùs, quàm digniùs laceſſam hujus opellæ Author, quem dum cum hac vili pagina Tuis adſterno plantis, quod Tuum eſt, ad manum ſupplex porrigo.*

Illuſtriſsimæ Dominationis Veſtræ.

Devinctiſſimus Servus
ADAMUS NARAMOWSKI
Societatis JESU.

De Cancellariis & Procancellariis Regni.

MAximorum in Regno monumenta loqui, maximum Patriæ ad Gloriam decus eſt. Hi dum vivunt, vel vixerunt in Patria, Patria illis viciſſim vixit, & revixit. Inter quos dum primi ad laborem, maximi cenſentur

ad Gloriam Cancellarii,& Procancellarii Regni. Horum originem Ministerii qui indagat, antiquitatem retrospiciat necesse est. Premislaus secundus est, qui primus dum Regnum adiit, Regnorum more Regum Sigillũ instituit Anno 1295. quo tutiùs firmaret, quidquid confirmare intenderat. Dum non soli sibi Rex fuit, non suum sigillari Annulo stemma apponere voluit, circumcirca Aquilam Regni Poloniæ avitam grandioribus in gyrum literis inscribi jussit: Reddidit ipse suis victricia signa Polonis. In altera autẽ parte imago Regalis Regio fulta Throno in manu dextra Sceptrum, in sinistra pomum Cruce signatum, illud inscriptum continebat: *Sigillum Premislai Poloniæ Regis. Miechovita p.* 191.

Origo Cancellariatus

In Regno Poloniæ singulos tantũ Cancella-

cellarios fuisse ab initio constat, postea cùm partim multitudine Negotiorum, aliquando etiam Valetudine, aut aliis rebus avocatus omnibus unus Cancellarius satisfacere non posset, institutum fuit, ut Vice Cancellarius, qui illo impedito partes ejus exciperet, esset; ita tamen ut præsente Cancellario minus Sigillum apud Regem ipsum asservaretur, nec tunc suo munere fungebatur. Successu tamen tẽporis lege ab Alexandro Rege latâ, Vice Cancellarius cũ Cancellario exæquatus, par utriq; potestas tributa fuit. *Rudgerus Zurhorst Livo l. de Cancella: p.* 15. & 16.

Solus fuit in Regno Cãcella:

Cancellarius & Vice Cancellarius (qui in lege Patria à singulari munere vocantur Pieczętarze:) Nominibus & loco distincti, sed potestate & munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, Epistolis,

& aliis ſcripturis Regiis conſcribendis, atq; ſignandis, quæq; ad eum mittuntur, accipiendis, & legendis præſunt. Itaq; in poteſtate ſua habent Sigilla Regia, Cancellarius quidem majus, Vice Cancellari9 verò minus; authoritas eorũ eousq; patet, ut multa inconſultoPrincipe ſignare, quæ verò contra leges eſſe videntur, etiam iubenti negare poſſunt. Dant etiã reſponſa Regio Nomine, & quibus de rebus Conſilium haberi debet, in Senatu proponunt, deniq; Senatûs conſulta, Regiaq; & Comitialia placita ac Decreta literis mandant, & in publicum edunt. Sũt etiam ij Cognitores privatarum querimoniarum & provocationum ab Urbanis, & Oppidanis, Præfectorumq; Judiciis, ad Regium Tribunal devolutorum, Secretariis, Scribis, Sacerdotibus, Aulicîs & Ce-

remoniis Eccleſiaſticis moderantur, is præſertim, qui eſt de Sacro Ordine. Lege enim quamvis non antiquâ, alterutrũ ex ijs Sacri, alterutrum prophani Ordinis eſſe oportet, cùm antiquitùs ſoli Spirituales eo munere fungerentur. *Cromer.* Mos fuit antiquus, munus Cancellarij conferri Canonicis, aut Prælatis non Epiſcopis, quos Alexander Rex voluit eſſe *Expectantes primos.* Archi-Epiſcopatuum, & Epiſcopatuum. *Conſtitutione Anni* 1504. *apud Herburt. in Statut. p.* 55.

Sub Vladiſlao tamen Jagellone fuit Sæcularis Procancellarius Nicolaus Moſkorowſki, cui ejuſdem Ordinis aliquot ſucceſsêre ex Regum arbitrio, & voluntate, ſed iterum Spirituales deſignabantur. *Rudger. Zurberſt. Livo.* Quos hic brevi ſerie apponere libet, quos ex authoribus varijs colligere licuit, antequam illi Cancellarij

producentur, qui per Regni Conſtitutionem alternatim Sæculares cum Spiritualibus, & ſæpè Epiſcopis ſuccedebant.

CANCELLARII Ante latam Conſtitutionẽ pro Alternata.

Ante 1153. Radvanus hoc nomine 4tus ſub Boleſlao Criſpo & Miecislao. *Okolſki tom. 2. p. 564.*

Anno 1216. Ivo de Końſkie Odrowąż ſub Leſcone Albo. *Miechovita p. 121. Starowol. in Monum. Sarm. p. 151.*

Anno 1230. Mathias de Drzewica pòſt Archi-Epiſcopus Gneſnenſis. *Starowolſki in Monumen. Sarm: p. 559.*

Anno 1260. Zbigneus Ciołek. *Okolſki t. 1. p. 114.*

Anno

Anno 1324. Philippꝰ Cancellariꝰ Regni. *Miechov: p. 207.*

Anno 1336. Joannes de Szamotuły. *Okol. t. 3. p. 49.*

Anno 1370. Joannes Strzelecki pòſt Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Anno 1371. *Bielſki p. 245. Cromer 222. Strykowſki p. 478.*

Anno 1378. Joannes Radlicki pòſt Epiſcopus Cracovienſis Anno 1380. *Starowol. in Monumen. p. 19. & in Facie Rerum Sarm: à me edita l. 2. p. 211.*

Anno 1380. Nicolaus Zaklika de Miedzygorz. *Paprocki in Nido Virt: p. 17. Strykowſki p. 478.* Fuit adhuc & Anno 1396. *Okolſki t. 3. p. 55.*

Anno 1412. Albertus Jaſtrzębecki Epiſcopus Cracovienſis. *Cromer p. 185.*

Anno 1424. Joannes Decanus Cracov: *Okolſki t. 2. p. 84. in ſubſcripto Privileg.*

Anno 1425. Juxta Bielſcium Staniſlaus, juxta ſeriem Epiſcoporum Poſnan:

Eraſmus

Erasmus Ciołek pòst Episcopus Posnan. *Rudger. Zurhorst.*

Anno 1426. Joannes Szafraneccius qui pòst fuit Episcopus Vratislav: mortuus peste Anno 1432. *Bielski p. 327. & 395.*

Anno 1434. Joannes Koniecpolski Sæcularis. *Bielski p 347. 401. & Cromer p. 322. & 314.* Fuit adhuc & Anno 1444. *Cromer.*

Anno 1455. Nicolaus Tarło ex Vexillifero Sandomiriensi. *Okolski t. 3. p. 58.*

Anno 1460. Fuit Joannes Rozyc Gruszczyński Episcopus Vratislav.

Anno 1470. Jacobus Dębiński ex Thesaurario Regni Cancellarius, Capitaneus Cracoviensis. *Bielski p. 451. Okolski tom. 2. p. 589.*

Anno. 1477. Uriel Gorka Præpositus Gnesn: & Posn: postea Episcopus Posnan: *Okolski tom, 2, p, 167,*

Anno 1492. Creslaus Kurozwański qui

qui Anno 1496. factus Episcopus Cujaviensis, simul fuit & Cancellarius Regni. *Starowol. in Monum. Sarm. p. 410. Paproc. in Nido Virtut. p. 59. Cromer p. 440. Miechovita p. 362.*

Anno 1501. Joannes Laski pòst Archi-Episcopus Gnesnensis Anno 1510. *Wapowski apud Cromer 533. & 539. & 544 Bielski p. 497.*

Hic jam Sæcularium cum Spiritualibus alternata ex lege Sigismundi I. Anno D. 1507. Cracoviæ in Comitijs Coronationis lata est. *Hartknoch p. 497.* Unde dum recensendi succedunt Spirituales, cùm de ijs in libro secundo à me edito sub Titulo *Facies Rerum Sarmaticarum*, satis inter Antistites egi, omissis hic eorum gestis, post appositum ordine cujuslibet Nomen, apponam numerum paginæ prædicti libri, quo quis in præfato opere continetur. Sæculares verò cum brevi vitæ cujuslibet epithome suo ordine interseram.

CANCELLARII Regni Post decisam Alternatã.

Dùm hæc sub Sigismundo I. facta Constitutio, egit Anno D. 1507. Cancellarium Joannes de Lasko Præpositus Scarbimiriensis, Canonicus Cracov: post illum demortuũ Creslaũ Episcopum Vladislaviensẽ Cancellariũ Regni. *Cromer p. 461. Jodocus Decius apud Miechovit p. 57. Vitam hujus Laskonis vide in libro 2. sub tit. Facies Rerum Sarmat. p. 127.*

de Lasko

Anno D. 1510. Succedente ad Archi-Episcopatũ Gnesnẽsẽ Laskone obtinuit sigillũ majꝰ Mathias Drzewicki Episcopus Premisliensis, Procancellariꝰ Regni. *Jodocus apud Miechov p. 72. Vapowski p. 603. Vitam ejus vide in Facię Rerum Sarm. p. 128. & p. 275.*

Matthias Drzewicki.

Anno

Anno D. 1513. Ascendente ad Vladislaviensem Episcopatum Drzewiccio, egit ejus Successorem primus Sæcularis Christophorus Szydłowiecki nuper Procancellarius, & Palatinus simul Cracoviensis. *Bielski p. 532. Wapowski apud Cromer p. 563. Rudgerus Zur Horst. l. de Cancellario p: 20.*

Christophorus Szydłowiecki.

CHRISTOPHORUS SZYDŁOWIECKI.

Magnum opus aggredior, dum tenui penna, vitam, famam, merita lustrare ingredior. Ille est quem coluit Sarmatia, adoravit Hungaria, stupuit Austria, ubiq; ingenuitate candens, progressu candidus, animo magnanimus, ore eloquens, opere felix. Aulæ Sigis-

gismundi I. indolem & operam privatus impendit, antequam publicus Aulam rexit, ut metiri possit, quàm propè proba virtus à favore Principum pendet. Tenuior eum licet presserit fortuna, non tamen depressit indoles, quæ dum merito ad alta scandit, fortunam pedissequam fecit. Sigismundo Coronato & ipse Principis favore coronatus, per omnes Dignitatum gradus ad summam secundùm Regem dignitatem pervenit, qui virtutem & meritum quærit, honorem & fortunā sequacem habet. Legatus ad Maximilianum Cæsarem sic cor ejus rapuit, ut cum Corde thesaurum videretur eripere. Auro ab illo onustus, qui aureus fuit. Octoginta enim Aureorum millia ab eo se dono successive accepisse

pisse ipse testatus est. Hungariæ, Galliæ, Angliæ Regum, Animum, suum fecit, qui totus illorum fuit, & hi toti ejus. A Vladislao Hungariæ prævio diplomate Dux Zatoriensis creatus, Dux certè fuit, qui tot Principum corda sibi devicit. Opatoviam majorem, Samboriam, Lucoviam cum arce Chmielovia, vallo, fossâ, mænibus munivit, fortiore ipse munitus, quia tot Regum favore. Inter tot felicitates bis infelix, quòd solus sine prole sine Successore mansit, & sic mori debuit, si tantùm mori potuit, qui suorum pectoribus æternum vivit. *Wapowski apud Cromer p. 611. Starowol. in Monum: Sarmat. p. 486.*

Anno D.. 1532. Extincto Christophoro Szydłowiecki, ob bella & absentiam Regis nonnisi Anno 1537. Sigillū

 ma-

majꝰ cū Episcopatu Cracoviensi collatū Joanni Chojeński Episcopo Plocensi. *Bielski p. 576. Vitam ejus vide in Facie Rerum Sarmat. lib. 2. p. 410. & 224.* *Joannes Choiеński.*

Pòst Chojeńscium collatus Cancellariatus Paulo Dunin Wolski tunc Sæculari, qui pòst defunctā Conjugem, Episcopatum tenuit Posnaniensem Anno 1544. *Bielski p. 585.* *Paulus Duńin Wolski.*

PAULUS DUNIN WOLSKI.

Alienis sese quia publicis involvit negotijs, antequam Sacris se devovit curis, Conjux prius, quàm Pastor, Stator quàm Antistes. Curam alieni sic habuit negotij, ut sui non negligeret, memor Divinorum ubiq; etiam non

inter

inter Divina. Cygnum pro Stemmate gessit, qui candore Cygnus fuit, animo candidus. Maritus pro Uxore pietatē maritavit, antequam se ei totū devovit, & postquam Uxoratus esse desijt, meliorē Sponsam elegit, dùm Ecclesiam. *Vide plura in l. 2. sub titulo Facies Rerum Sarmaticarum. p. 329.*

Excedente è vivis Duninio successit Samuel Maciejowski Episcopꝰ Chełmen: pòst Plocensis, demùm Cracoviensis & simul Cancellariꝰ, qui mortuꝰ Anno 1550. *Bielski p. 586. Vitam ejus vide in Facie Rerum Sarmat. l. 2. p. 225. & 412. & 574.* *Samuel Maciejowski.*

Anno D. 1550. Sigillum Majus collatum Joanni Ocieški Præfecto Cracov: Osviecimensi, Zatoriensi, Sandecensi, Olsztynensi, defunctus hic Anno 1563. *Bielski p. 615.* *Joannes Ocieški.*

JO-

JOANNES OCIESKI.

Gratianus hic fuit, qui ſingulis gratioſus, ſatis ad Gloriam, Eruditus Eruditis præſtantior, ſatis ad Famam, Conſilijs non defuit, qui Conſilijs præfuit, ſatis ad tantum fuit faſtigium. Aulæ operam impendit, Aulam ſuâ operâ juvit, dignus ut altiùs ſcanderet, ſi altiùs poſſet. Nec, (qui moribus erat nobiliſſimus) ſoli Patriæ fuit notiſſimus, Orbem implevit Famâ, Orbis ejus implevit Famam, dùm Turcicas, Italicas, Germanicas Legationes cum Laude & Patriæ bono obijt, ubiq; amorem, dùm fuit, ſtuporem dùm abijt, reliquit. Maximum illi fuit negotium eſſe ſine negotijs, maximus illi videbatur labor vivere ſine obſequijs, qui

totus

totus alijs vixit non ſibi. Mortuus Cracoviæ, ubiq; luctum reliquit, dùm lucem æternam ſubijt. Maximus mœror, optimorum eſt fatum.

Anno D. 1563. Pòſt defunctum Ocieſcium ſuffectus Valentinus Dębińſki Theſaurarius Regni. *Bielſki p. 615.* *Valentinus Dębińſki.*

VALENTINUS DĘBINSKI De Domo Ravitarum.

Excelſi in Regno Sangvinis Hæres, Magnorum Heroùm Filius, ſeptem Filiorum Patriæ Atlantum Pater ex Biecenſi Caſtellanatu Theſaurarius Regni, ex Theſaurario Supremus Cancellarius, ubiq; Maximus, ubiq; dexterrimus,

altiùs

altiùs ſic ſcandit, ut ultra non potuerit niſi ad Solium, qui Solio proximus fuit, dùm Caſtellanum Cracovienſem egit. Conſilijs ſemper & præfuit, & profuit, ſupplicem nullum rejecit quin adeſſet. Regio condemnandum Decreto Fautorē Hæreſum Oleſnicciū, Stancarum Hæreticum, foventem, ipſe fovit, dùm à pæna mortis vindicavit (*Bielſki p. 593. Okolſki tom: 2. p. 590.*) Amicus hic verus eſt, qui cum deſunt amici, ipſe non deeſt; Fovit hic amicùm, ſed non amicam ei hæreſim, à qua ut reſipiſceret, ſvaſit, ut perſvaderet, totum ſe impendit. Celebris in tot Filijs, & tot optimis Pater, celebres ab Optimo Patre Filij hoc ſolo Minores, quod poſteriores.

Anno

Anno D. 1576. Valentinus Dębinſki ex Cancellario Regni factus Caſtellanus Cracovienſis, cui in Cancellariatum ſucceſit Petrus Dunin Wolſki Pro-Cancellarius Regni. *Piaſecki p. 6. & s. Vitā ejus vide in Facie Rerū Sarmat: lib. 2. p. 510.* Aſcendit hic in Plocenſem Epiſcopatum Anno D. 1577. *Petrus Dunin Wolſki,*

Hic interſerit Okolſki *tom. 1. p. 267.* (citans pro ſe Paproccium) Hieronymū Garwaſki Cancenllar: Regni, Gnesnenſem, Cracovienſem, Plocenſem Canonicū. Piaſecki verò poſt Aſcenſū Wolſcij aſcendiſſe dicit Joannē Zamoyſki. *Hieronym. Garwaſki. Joannes Zamoyſki.*

JOANNES ZAMOYSKI.

Hic unus, & omnis, quidquid potuere

tuere

tuere omnes, hic ſecit unus, quidquid ſecêre plures, ſolus ſuffecit, jam Conſus in Curia, jam *Miles* in bello, jam Signator Regni in toga, jam Dux belli in Sago, ubiq; Supremus. Indiviſo munere ſe ipſum diviſit in omnia, dùm diviſus in omnes, ſingulis facere ſatis potuit, & fecit. Calamum Signator acuit, qui præſtans in calamo fuit, & acumen Dux belli fecit, dùm hoſtes confecit. Stylus hic ferreus fuit, ſed ſemper rubens, qui pudorem victis, purpuram illi, ad perennem inſcripſit Famam. A ſangvine hoſtium hic calamus, dùm rubuit, erubuit, quòd dum Regium Bathorei Sangvinem ei deſponſavit, ipſum Regiæ Purpuræ non maritavit. Meruit regere, qui Reges

fecit, nec defuit, qui eum promoveret, dùm & ipſe quos promovit, victore ferro in Solio ſtabilivit. Charus Bathoreo Regi, Bathoreus ipſi, duos diceres concludi in uno, qui ut unus, duo fuêre. Eruditione parem vix protunc habuit ætas, & ferro vix feliciorem illo, ut ſciret Orbis etiam in Polonia Martem gigni, aut Martis progeniē. *De Victorijs ejus agam ubi de belli Ducibus. Piaſecki p. 14.*

Anno D. 1605. 3. Junij Mortuo Joanne Zamoyſki Cancellario & Duce Regni, ſucceſſit Anno D. 1606. Mathias Pſtrokońſki Epiſcopus Premiſlienſis, Pro-Cancellarius Regni. *Piaſecki 282. Vide vitam in Facie Rerum Sarma: l. 2. p. 285. & 514.* *Mathias Pſtrokońſki*

Anno D. 1608. Aſcendenti ad Epi-

ſcopatum Vladiſlavienſē Mathiæ Pſtrokońſki Cancellario Regni, ſucceſſit Anno D. 1609. Laurentius Gembicki Epiſcopus Culmenſis. *Piaſecki p.* 310. Hic etiamſi ad Vladiſlavienſem aſcendit Inſulam, Anno D. 1610. Cancellariatum tamen retinuit per triennium circiter. *Piaſecki* 338. *Vide vitam in Facie Rerum Sarmat: l. 2. p.* 563. & 286.

Laurentius Gembicki.

Anno D. 1612. Succeſſit Gembiccio in Cancellariatum Felix Kryſki Pro-Cancellarius Regni. *Piaſecki* 338.

Felix Kryſki.

FELIX KRYSKI in Drobnia de Domo Prawdzic.

Raras natura præbuit dotes, cui egregiam avitus Sangvis indidit indolem, quam ad publica natam publicis litavit negotijs, quo ad vixit. Ubiubi proceſſit Felix fuit, dùm ingenio in agendo, facundo ore in perſvadendo excelluit. Ob ſvave oris profluvium DEMOSTHENES SARMATICUS dicebatur, nec immeritò, dùm concinna ejus fluebant verba, diffluebant omnes, in omnium raptus corda, qui corda dicens rapiebat. Anno D. 1601. Luſtrator Vołyniæ Deputatus fuit, quem Fama ad immortalē Gloriā deputavit. Nec prius loqui facundè dedidicit, quàm dùm infacunda mors tacere juſſit. Sic Tacitos hæc facit, quos diſertos ingenium fecit. Sed nec Fama poſt fata ſilentes hos facit. *Okolſki tom. 2. p.* 504. *Starowol. in Monumen. p.* 259.

Anno D. 1617. Mortuo Felice Kryſki

ſki Cancellario Regni ſucceſſit Anno D. 1618. Staniſlaus Zołkiewſki Supremus Exercituum Dux. *Kobierzycki p. 533. Piaſecki p. 369.*

Staniſlaus Zołkiewſki.

STANISLAUS ZOŁKIEWSKI
De Armis Lubicz.

A literis cæpit qui Armis vixit, Eruditis Amicus, inimicis hoſtis, ferreus fuit, qui ferro ſævijt, utrâq; manu & Patriam vindicavit, & hoſtes depreſſit his terrore prælufit, dum ſuis amore; & Præfectus Exercitûs, & Sigilli Præſes, ubiq; Supremus. Magis tamen ferrum acuit, quam ſtylum, qui totus dùm Signator, bellator fuit. Coſacos rebelles

les domuit Tartaros ad Udyczum vicit invictus pro Patria Heros, nec ſatis. Neſcit ferrum deſinere ut ſubſiſtat, fortiter ſubſiſtit, nè inglorìè deſinat. Moſcuam inviſit, & Moſcum cæpit, totius jam Ruſſiæ Victor, qui hoſtis fuit. Captivum duxit Principem, non tam captivorum, quàm bellatorum Princeps, Roſſiam rexit dùm hoſpes fuit. Dùm captivum caput à Moſcua avellit, pro capite Moſchis Vladiſlaum impoſuit, dignus ut qui Reges vicinis creabat, Princeps & ipſe crearetur. Dum in Moldavia ad Tyram cùm Tartaris dimicat, non tâm ſuccumbit, quàm glorioſè occumbit, victima factus, qui hoſtes victimas fecit. Non prius animum perdidit quàm caput, quòd præ-

cisum allatum Constantinopolim, Bistonas tàm truncum terruit, quàm vivum terrori fuit. Etiam Heròès post fata vivunt, ut hostes terreant. *Kobierzycki p. 533. Piasecki p. 369.*

Anno D. 1620. Post occisum in conflictu Stanislaum Zołkiewski Cancellarium (& Ducem Supremum) Regni, Cancellariatus redditus Anno D. 1621. Andreæ Lipski Pro-Cancellario Regni Luceoriensi Episcopo. *Piasecki p.404. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat: l. 2. p. 483. & 287. & 232.*

Andreas Lipski.

Anno 1624. Ascendente Andrea Lipski Cancellario Regni ad Episcopatum Vladislav: cessit Cancellariat9 Venceslao Leszczyński Pro-Cancellario Regni. *Piasecki. 439.*

Venceslaus Lesczyński.

VEN-

VENCESLAUS Comes in Leszno LESZCZYNSKI.

Magnorum Encomiorum Vir, quia maximarum dotum. Indolem suam expolivit in exteris, domi magnanimitatem animi applicavit bellis, primum quælibet vidit expeditio, qui primus & alacer comparebat in expeditionibus. Fidem Orthodoxam quam semel complexus, nunquam dimisit, licet multos vidit, & doluit quòd eam dimiserant. Sic qui benè vivunt, nunquam mutari volunt. Et licet multos stimulatores ad id habuit, nunquam tamen immutatâ Fide vivere voluit. Ut per

 San-

Sangvinis Illuſtriſſimi alta profluvia crevit, ſic per Honorum gradus ad ſuprema ſcandit. Ex Caſtellano Palatinus Caliſſienſis, ex Palatino Pro-Cancellarius, tum deniq; Supremus Regni Cancellari9, qui omniũ rapiebat animos, omniũ meruit elogia; cũ Cancellariatu ſimul tenuit Generalatũ Majoris Poloniæ.

Anno D. 1628. Defuncto Venceſlao Leſzczyńſki ſucceſſit Jacob9 Zadźik Epiſcop9 Culmen: Pro-Cancellari9 Regni. *Piaſecki p. 482. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat. l. 2. à me edito p. 565. & 234.* *Jacobus Zadźik.*

Anno D. 1635. Prehendenti Epiſcopatum Cracovienſem Jacobo Zadźik ſucceſſit Thomas Zamoyſki Pro-Cancellarius Regni. *Piaſecki 574.* *Thomas Zamoyſki.*

THOMAS

ZAMOYSKI.

A priore Joanne Zamoyſcio & Bellatore & Signatore non degener Filius, dum unâ manu ſignabat Gloriam, alterâ in hoſtes vibrabat gladium. Paternarum virtutum Heres, imò vivus in Filio Pater, dum vixit ut miles, triumphavit ut Victor. In expeditionibus varijs ad Staniſlavoviam, Orininum, Kurtkoviam, Szarogrodum, Chocimum Mævum, contra Batherbeios, Scythas, Turcas, rebelles Coſacos, ferocientemq; Neciæ Guſtavum nimium felix, dum nimius fuit, & ubiq; ſerius. Fidem Orthodoxam quam cum lacte exſuxit, non ſolum detinuit, ſed ubiq; defendit propugnator zeloſus Fidei, impu-

gnator acerrimus hæreſum. Literarum amans, literarum amator, demùm dum ſic eminuit, in honore crevit. Palatinus creatus Podoliæ, Generalis Cracovienſis, Sokalienſis, Knyſzynenſis, Rabſtinenſis, Neoſor: Præfect9. Dignus altioribus, ſi mors opprimendo non depreſſiſſet Anno 1638. menſe Januar: 8. die. *Piaſecki p. 574. Starowolſki in Monum: Sarm: p. 636.*

Anno 1638. Mortuo Zamoyſcio Cancellario Regni ſubſtituitur Petrus Gembicki Vice-Cancellarius Regni. *Piaſecki p. 599. Vide vitam ejus in Facie Rerum Sarmat. l. 2. p. 517. & 234.*

Petrus Gembicki.

Anno D. 1638. Succedentis in Epiſcopatū Cracovienſem Petri Gembicki Cancellarij Regni fit Succeſſor Georgius Oſſoliński Pro-Cancelarius Regni. *Piaſecki p. 602.*

Georgius Oſſolinſki.

GEOR-

GEORGIUS Comes de Tęczyn OSSOLINSKI.

Principem S. R. I. dico, antequam loquar, meruit id virtus, quòd Auguſtus Imperij Cæſar Ferdinandus II. indidit. Sic meritum coronat Honor antequam extollat, extollit ut coronet. Procerum in Patria de Sangvine natus, Sangvinem auxit dùm Patriam. Tot ferè Senatorum quòt Aboriginum Filius, Unius Filij Franciſci Pater, ſed optimi, quaſi unus eſſet, qui cum tanto Patre omnia collegit, quæ Sangvis diviſit. Compendium multorum fuit Georgius, in quo uno omnes, in omnibus

unus

unus eminuit. Europam peragrando dùm novit, notiorem à ſe fecit, quam dùm ille ſtupuit, illa Virum coluit. Dùm ab exteris redijt, ad cruda Martis bellaria proceſſit, crudior nè illi cum Vladiſlao Rege Moſchoviticus Mavors fuerit, an ille Mavorti, edicat Victoria, ſubjugata fateatur Roſſia, non indè ceſſit, quoadusq; non deceſſit hoſtis, non ſucceſſit alea, quæ licet bellorum dubia, ejus tamen famæ ſemper pediſſequa. Sed noluit virtus uno comprehendi Regno, dùm ejus altrix gloriæ Fama, ſingula comprehendit Regna. Fuit publicus Regni Orator in Angliam ad Jacobum Britanniæ Regem, nec abivit, quin ſubſidia Poloniæ contra Oſſmanum ferebat. Satis dexter

qui efficax eſt. Nec ultra quievit, cui obſequium Patriæ, maxima quies fuit. Altmarcum Anno D. 1629. libens feſtinavit, qui inclinatis ad pacem partibus, Svecum inter & Polonũ ſexennales inducias tulit. A Vladiſlao IV. ad Urbanum Pontificem dùm Romam perrexit, tanto Viro Roma inclaruit, qualem nec opulentiorem ab opibus, nec ſplendiorem ab ingreſſu, nec Eruditiorem ab ingenio ut vidit, audivit. Quidquid voluit, ſecum evexit, ſolus abeundo manſit, dùm ſui amorem, & Famam reliquit. Sic faciunt Maximi, ut perennent, ſic Optimi, ut ſuæ ſtupore virtutis Regna ad cultum inclinent. Sub bello Svetico Anno D. 1635. à Vladiſlao Pruſſiæ Gubernator impoſitus, ſuo Nomine frænum hoſti impoſuit, dùm inde

repressis hostib9, intactam quam accepit, Regnanti reddidit. Quid ore facundè eloquens potuit, hucusq; stupet Orbis dùm legit, legat alibi plura, & magis stupebit.

Andreas Lesczyński. Anno D. 1650. Occūbente fatis 9. Augusti Georgio Ossoliński fasces prehendit Andreas Leszczyński Pro-Cancellarius Regni, Antistes protunc Camenecē. *Kochowski p. 189. & 193. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat. l. 2. p. 147. & 567. & 622.*

Stephanus Koryćiński. Anno D. 1652. Postquam Primatiali admotus fastigio Leszczynius, successit Stephan9 Koryćiński Pro-Cancellarius Regni. *Kochowski p. 346.*

STEPHANUS KORYCINSKI.

Ma-

Maxima Virorum gradatio, virtutum promotio est. Meruisse Sigillum hic visus quàm ambiisse, ex Equestri Ordine Ordinem summorum ascendit, non genus, optimum facit, sed virtus. Pace & bello indivulsus Joannis Casimiri Comes comitem dùm secutus Fortunam, sequiorem etiam expertus. Cum exule Principe benevolè exul, maluit cum Principe pati, & luctari, quàm ab hoste quidquam lucrari. Ex veteri Topororum Domo fuit, à Pilca lineam denotante, undè se Comitem scripserat, qui à tanta stirpe processerat. Consilijs felix, rationum magis pondere quam inani verborum certavit eloquio. Eruditus paucis concludens, multa loqui dediscit. Agitata & labori-

 bus

bus & itineribus valetudo deficere cæpit, quæ desistere à labore noluit, sed debuit. Dolore calculi contabuit antequam occubuit, sed nec occumbendo succumbere visus, sedili incumbens stando mortuus, etiam cadendo cadere noluit, cujus vita, Fama, virtus etiam post fata in integro stetit.

Anno D. 1658. Concedenti fatis 16. Julij Korycinio designatur muneri Vacanti Nicolaus Prazmowski Præsul Luceoriensis. *Kochowski p. 302. Clim: 2. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat: lib: 2. p. 488. & p. 149.*

Nicolaus Prażmowski.

Anno D. 1667. Nicolao Prazmowski ad fasces Primatiales promoto succeßit Joannes Leszczyński Pro-Cancellarius Regni. *Kochowski Climac: 3. p. 266.*

Joannes Leßczyński.

JOAN-

JOANNES LESZCZYNSKI.

Joannem dùm in lucem statuo, Magnorum in Patria Virorum, maximorum in Senatu Heroum hæredem profero; Leszczynius fuit, dixisse ad Gloriam satis, satis ad Famam; nativam humanitatem sui pedissequan fecit, ut omnibus dare, præstare, sufficeret; comitate certabat cùm alijs, eminebat super multos. Ingenium, quod natura dedit, expolivit sedulitas, disertum fecit oris svavitas. Nulli se acrem ostendit, qui mitis in omnibus fuit, simulare nescit, multa tamen dissimulare voluit, magnarum utiq; ex more mentiũ est, nolle videri, quod videamur apprehende-

 re.

re. Et dùm in tanto munere reliquit merita, reliquit & muneris onus, à Ministeriali Magistratu, ad Senatoriam progressus Purpuram, Palatinum egit Cracoviensem, & purpuram induit & animum, ut libentiùs pro Patria ageret, cùm non tàm deberet. Suum immortalitati scripsit nomen, cum Famæ merita inscripsit.

Anno D. 1676. Resignanti sponte Cancellariatum Leszczynio & contento Palatinatu Cracoviensi, substitutus fuit huic muneri Stephanus Wydzga Præsul Varmiensis, Comitijs per legem eodem Anno dispensantibus compatibilitatem horum Officiorum. *Załuski tom. 1. part: 1. pag. 680. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat: lib. 2. p. 487. & 463. & p. 153.*

Stephanus Wydżga.

Anno D. 1678. Post ascensum Stephani

phani Wydzga ad Gnesnensem Archi-Episcopatû, potitus ejus munere Joannes Wielopolski Pro-Cancellarius Regni. *Załuski tom: 1. part. 1. p. 704.*

Joannes Wielopolski.

JOANNES WIELOPOLSKI.

Ex Regni Pro-Cancellario Cancellarius, omni major exceptione Joannes, dignus qui à Joanne III. Virorum & meritorum æstimatore, ad altiores æstimaretur ascensus. Ore dùm fuit facundus, submissione omnibus charus. Nihil egisse visus, nisi vel quod Patria demandaret, vel à Patria approbaretur. Consilio maturo multos excelluit, dùm quidquid protulit, optimè consuluit. Futura sic prospexit, ut præsentia

ſentia optimè ſtabiliret. Certabat cum loquentis lingvâ ſcribentis manus, ut manu & lingvâ omnes excelleret. Scandit per Honorum gradus, ut debuit, ſat altè Miniſter ſubſtitit, ut meruit. Charus prudenti Principi, qui prudens fuit. Aboriginum probitas dùm per alios fluxit, in eum redijt, qui eam auxit. Demùm quidquid egit, perenni Famæ inſcripſit, dignus immortalitate, qui immortalia fecit, dùm mortalis fuit.

Anno D. 1687. Pòſt exceſſum è vivis Wielopolſcij admotꝰ Honori Anno D. 1689. Georgiꝰ Donhoff Præmiſl: Præſul. *Załuſki tom: 1. part. 2. p. 1103. Vide Vitam ejus in Facie Rerũ Sarmat: lib. 2 p. 626. & 522. & p. 239.* *Georgius Donhoff.*

Anno D. 1702. Deſignatus Carolus Tarło Pro-Cancellarius Regni, ſed mox ante Comitia Regni in quibus jurare *Carolus Tarło.*

ſuper

ſuper munus debuerat, obijt.

Anno eodem Sigillum majus obtinuit Andreas Załuſki Epiſcopus Varmienſis, ut fatetur de ſe *tom: 3. p. 318. Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat: l. 2. p. 466. & p. 424. & 607.* *Andreas Załuſki.*

Anno D. 1711. Defuncto 1. Maij Andrea Załuſcio tulit meritò palmam Honoris Illuſtriſſimus Joannes Szembek.

JOANNES in Słupow SZEMBEK.

Ex Referendario, Pro-Cancellario, Cancellarius Regni.

Joannes

Joannes est, satis primò dixisse ad Gloriam, qui cùm Gratiani Nomen portet, gratiosi Famam refert. Nemo surrexit major illo, Majoribus Major, moribus svavior, amoribus singulorum præstantior. Joannes in munere Signaturæ sextus, sed probitate primus, labore, operâ secundus, imò secundissimus dignitatem officio dedit, dùm accepit. Svavi Elogio grandis, sed nulli asper, moribus gravis, sed non elatus, ab omni vitio vacuus, dùm meritò plenus, adultus prudentiâ, & virtute maturus. Nulli molestus, qui semper tanto in fastigio modestus est. Prævisu ferax, & provisu velox, sic quæ officij sunt, disponit svaviter, ut tempus aptando negotijs, omnia tempori

adaptare videatur. Fulminantes animos sine fulmine vincit, pacatus impacatos. Maximè adversos deprimit, cùm tacitus adversa silentio premit. Iniquis æquus, dùm æqui Judex, injurias suas tùm maximè vindicat, cùm illas de toto obliterat. A nullo unquam victus, nisi à se ipso, cujus vincere, cuiq; cedere est, hoc enim summorum est, molestos modestè ferre. Relictos summi in Patria Statoris Francisci Castellani Camenecensis Parentis sui mores, dùm in Senatu grandes invenit, majores ipse relinquit, minor illo ut Filius, Major Parente ut Regni Minister. Felix tanto Genitore Filius, felix à tanto Joanne & alijs Genitor, qui tam fæcundus an beatus novem Il-

lustrissimis, dignissimisq; Filijs, & nisi sic esset fæcundus, non sic censeretur felix. Ex Illustrissima enim primo voto Odrowążya Pieniążkowna Stanislaum Suffraganeum Cracov: expòst Archi-Episcopum Gnesnensem. Preclaum Castellanum Voynicensem, Michàëlem Decanum Cracoviensem, expòst Suffraganeum & Abbatem Claræ Tumbæ, Antonium Canonicum Cracov: Secundo voto ex Illustrissima RUPNIEWSKA Modernum Illustrissimum Regni Cancellarium, Ludovicum Secretarium Regni Majorem, Franciscum Dapiferū Regni, Chrystophorum Episcopū Varmiensem, & Alexandrum Dapiferum Regni sibi in grande solatium, Orbi Sarmatico, dum in lucem prodidit, singulos

gulos ad perennaturæ Famæ cultum Genitor Illustrissimus consignavit. Nonnè tantis purpuris Major extitit, quam si extitisset, si minùs Filiorum habuisset. Ut taceam alios, Primatialis in Filio Stanislao dignitas, summa Parentis felicitas fuit, qui Pastorem semper Sanctum, & Patrem Patriæ semper vigilem egit. Felix Parentis prosperitas in Christophoro Antistite Varmiensi facilè Antistitum Principe, qui cùm Præsulum est idea, norma Pastorum, omnium virtutum censetur compendium. Felicissimus in Joanne Genitor, à tanto Parente Joannes, qui singulas adjutrice naturâ in se collegit dotes, ut omnes in uno, unus in omnibus ligetur & legatur virtutibus, cujus si pru-

dentiam spectas, matura est, si modestiã maxima est, si loquelam comis est, si loquentem, affabilis est, si pietatem, sacer est. Primâ diei aurorâ sedula ejus diescit devotio, Præsulem à precibus diceres, nisi in negotijs Patriæ sedulum simul spectares Ministrum. Non solùm se DEO dicat, sed & sua. Monialium S. Theressiæ Discalceatarum Cracoviæ liberalis Erector, sic eas sat largè dotavit, ut ditaret. Ecclesiæ Lomsensis Soc: JESU munificus Fundator, Cælum pro præmio quærit, dùm sic JESUM erigit, & se ad JESUM. Loquere immortalitati devicta Soc: beneficas Joannis Gratias, quas dùm in immensum Regni Stator auget, tu auge verba cordis, urge Cælites, ut æternum

vivat, qui æternum in sui Gloriam vivere facit, quos fundat. Plura dùm supprimo, ipso silentio exprimo, maximè enim maximorum gesta loqvuntur dùm silent, maximè silent, dùm Orbi patent. Satis etiam & exindè laudis sit avitæ, quod ipse pòst omnes, pòst ipsum nemo sic benè laudatur, qui maiora meretur. Trilogio totum ejus expeditur Elogium: Patriæ servit, Famæ vivit, immortalitati gesta inscribit. Proindè hæc, coronet facta, antequam coronidem vitæ invida imponent fata.

PROCANCELLARII
Regni
Ante latã Conſtitutionẽ
Pro Alternata.

Anno 1387. Nicolaus de Moſkorow. *Bielſki p. 273.*

Anno 1409. Michaël Trąba qui factꝰ Anno 1411. Archi-Epiſcopus Gneſnen: hic primus vocari cæpit Primas Regni. *Bielſki p. 290. & 311. & 324. Vide in Facie Rerum Sarmat. l. 2. p. 165. & 119.*

Anno 1424. Staniſlaus Ciołek pòſt Epiſcopus Poſnanienſis. *Vide Vitam ejus in Facie Rerum Sarmat: l. 2. p. 303. 402. 323.* Juxta alios Eraſmus.

Anno 1432. Vladiſlaus de Oporow. *Vide vitam in Facie Rer: Sarm: l. 2. p. 267. & 122. Cromer p. 306.*

Anno

Anno 1436. Vincentius de Dębno Cotus mox Archi-Epiſcopus Gneſnen: *Bielſki p. 354. Vide vitam ejus in Facie Rer: Sarm. p. 121.*

Anno 1442. Petrus Woda de Szczekoćin Odrowąż hic Sæcularis, perijt in conflictu ſub Choynice Anno 1454. *Bielſki p. 401. & 403.*

Anno D. 1455. Thomas Strzepczyńſki qui eodẽ Anno factꝰ Epiſcopus Cracov: *Bielſki p. 405. Vide in Facie Rerũ Sarm: l. 2. p. 217.*

Anno 1457. Joannes Lurconis Decanus Gneſnenſis.

Anno 1458. Joannes Lutko de Brzeżie Archidiaconus Gneſnenſis. *Bielſki p. 413.*

Anno 1473. Zbigneus Oleſnicki pòſt Epiſcopus Vratiſlav: *Bielſki p. 457.*

Anno 1479. Staniſlaus Kurożwańſki Canonicus Cracovien: *Bielſki p. 473.*

Anno

Anno 1494. Gregorius Lubraniecki Præpositus Scarbimiriensis.

Anno 1498. Vincentius Przerębski mox Episcopus Plocen: Vladislav: *Vide in Facie Rer. Sarm. l. 2. p. 407. & 274.*

PROCANCELLARII Regni Post latã Constitutionẽ Pro Alternata.

Dùm Sigismundus I. urgente vel potiùs annuente Republica alternatim Spirituales cæpit cum Sæcularibus constituere Cancellarios, & Pro-Cancellarios, egit tunc Pro-Cancellarium Mathias Drzewicki Episcopus Premisliensis. *Jodocus p. 57.*

Quia

Quia verò Spirituales, vel Cancellarios, vel Pro-Cancellarios utpote Antistites succinctâ quemq; expressi descriptione in Facie Rerũ Sarm: l. 2. & Sæcularium Vitæ Epitomen superiùs in Ordine Cancellariorum, ex Pro-Cancellariatu ascendentium apposui, proindè hic utrorumq; repetere gesta vanum duxi, nisi quos vel superiùs non expressi, vel quos fatum è Pro-Cancellariatu subduxit.

Anno D. 1510. Ascendente ad Cancellariatum Drzewiccio Antistite, obtinuit minus Sigillum Chrystophorus Szydłowiecki Thesaurius Curiæ Regni. *Chrystophorus Szydłowiecki.*

Anno D. 1515. Capessente majus Sigillum Szydłowieccio Palatino Cracovien: (juxta Bielscium *p. 532.*) succes-

sit

Petrus Tomicki. sit Petrus Tomicki Episcopus Premisliensis *Jodoc9 apud Miechov. p.96.* Idem cum Episcopatu Posnan: tenuit Sigillũ minus. *Wapowski p. 576.*

Anno D.1530. Renuntiatus Pro-Cancellarius Joannes Chojeński Episcopus Cracoviensis. *Meminit ejus Okol. t. 1. fol. 4. Lubiński p. 164. Starowolski in Vitis Episc. p. 222.* *Joannes Chojeński.* Ascendit ad Cancellariatum Anno 1537.

Anno D. 1538. Minus Sigillum collatum Samüéli Maciejowski cum Episcopatu Chełmensi. *Bielski p. 579. & 584.* *Samüél Maciejowski.*

Anno D. 1550. Præripuit cæteris palmam Joannes Przerębski Episcopus Chełmensis. *Bielski p. 593. Starowolski in Monum: p. 687.* *Joannes Przerębski.*

Anno D. 1558. Post Przerębscium ad Primatialem dignitatem, ascendentem successit Philippus Padniewski, *Philippus Padniewski.*

post Episcopus Cracoviensis. *Bielski p. 608.*

Anno D. 1562. Post Padnievium minus Sigillum tenuit Petrus Myszkowski, post Episcopus Plocensis, demùm successive Cracoviensis. *Bielski p. 612. Starowolski in Monument: p. 144.* *Petrus Myßkowski.*

Successit priori Franciscus Krasiński, qui Anno 1572. successit in Episcopatum Cracoviensem. *Bielski p. 649.* *Franciscus Krasiński.*

Anno D. 1574. Post Krasińsciũ, minus obtinuit Sigillum Petrus Dunin Wolski fuit Episcop9 Premisl: post mox Plocen: *Bielski p. 709.* *Petrus Dunin Wolski.*

Anno D. 1576. Ascendente ad Cancellariatum Petro Wolski factus ProCancellarius Joannes Zamoyski. *Piasecki p. 6.* *Joannes Zamoyski.*

Anno D. 1579. Promoto Joanni Zamoyski

Joannes Boruchowſki. moyſki ad Cancellariatū Regni ſucceſſit Joannes Boruchowſki Antiſtes Premiſl: *Bielſki p. 756. Piaſecki p. 14.*

Albertus Baranowſki. Anno eodem Boruchovio fatis extincto datus in Officium Albertus Baranowſki Præſul Premiſlienſis. *Piaſecki p. 14.*

Joannes Tarnowſki. Anno D. 1590. Aſcendenti Baranovio in Epiſcopatū Plocenſem ſucceſſit Joannes Tarnowſki Referendarius Regni. *Meminit ejus Piaſecki p. 106.*

Petrus Tylicki. Anno D. 1598. Poſnanienſi Inſulæ admotus Tarnovius ceſſit Petro Tylicki Culmenſi Præſuli. *Piaſecki p. 187. Starowolſki in Monum: p. 76.*

Mathias Pſtrokońſki. Anno D. 1604. Vladiſlaviā ſcandenti Præſuli Tyliccio ſucceſſit Anno D. 1605. Mathias Pſtrokońſki Præſul Premiſl: *Piaſecki p. 267. Starowolſki in Monument. p. 403.*

Anno D. 1606. Pòſt aſcenſum Pſtrokońſcij

Stanislaus Mińſki. końſcij in Cancellariatum aſcendit Staniſlaus Mińſki Palatinus Lancicienſis.

Felix Kryſki. Anno. D. 1609. Pòſt Mińſcium Anno D. 1607. defunctum tenuit Pro-Cancellariatum Regni Felix Kryſki Referendarius Regni. *Piaſecki p. 338.*

Henricus Firley. Anno D. 1612. Aſcendens ad Cancellariatum Regni Kryſcius Succeſſorem habuit Henricum Firley Referendarium Regni. *Piaſecki p. 338.*

Andreas Lipſki. Anno D. 1616. Henrico Firley aſcendenti ad Epiſcopatum ſucceſſit Andreas Lipſki Epiſcopus Luceorienſis. *Piaſecki p. 368. Starowolſki in Monum: p. 49. & 77.*

Venceſlaus Leſzczyńſki. Anno D. 1621. Lipſcio tenente Cancellariatum Pro-Cancellariatu potitus Venceſlaus Leſzczyńſki. *Piaſecki p. 404.*

Anno D. 1624. Aſcendente Leſzczynio

Stanislaus Lubińſki.

ſzczynio ad Majorem Signaturam creatus Pro-Cancellarius Staniſlaus Lubińſki Antiſtes Luceorienſis. *Piaſecki p. 439.*

Anno D. 1627. Prehendente Inſulam Plocensē Lubienio admotus ejus muneri Jacobus Zadżik Epiſcopus Culmenſis. *Piaſecki p. 469.*

Jacobus Zadżik.

Anno D. 1628. In locum Zadżik ſacti Cancellarij ſucceſſit Thomas Zamoyſki Palatinus Kijovienſis. *Piaſecki p. 482.*

Thomas Zamoyſki.

Anno D. 1635. Pòſt Zamoyſcium aſcendentem ad Cancellariatum ſubſtitutus Petrus Gembicki Secretarius Major, qui mox adeptus eſt Epiſcopatum Premiſlienſem. *Piaſecki p. 574.*

Petrus Gembicki.

Anno D. 1638. Aſcendente ad Sigillū majus Gembiccio minus ceſſit Georgio Oſſolińſki Palatino Sandomirienſi. *Piaſecki p. 599.*

Georgius Oſſolińſki.

Anno

Anno Præfato, ſuccedente in Majorem Signaturam Georgio Oſſolińſki collatus Pro-Cancellariatus Alexandro Trzebińſki Epiſcopo Premiſl: *Piaſecki p. 602.*

Alexander Trzebińſki.

Anno D. 1645. In locum Trzebińſcij Anno D. 1644. demortui ſucceſſit Andreas Leſzczyńſki. *Piaſecki p. 602.*

Andreas Leſzczyńſki.

Anno D. 1650. Aſcendenti in Cancellariatum Andreæ Leſzczyńſki ſuffectus Hieronymus Radżiejowſki. *Kochowſki Cl: I. p. 193.*

Hieronymus Radżiejowſki.

Anno D. 1652. Abjudicatus minori Sigillo Hieronymus, dùm exceſſit ex Patria, ceſſit Stephano Koryćińſki Oſvieċimenſi Præfecto. *Kochow:*

Stephanus Koryćińſki.

Anno eodem promoto ad Sigillum majus Koryćinio, deſignatus ad minus

H

Andreas

Andreas Trzebicki. Andreas Trzebicki intimior Signaturæ. *Kochowſki Cl: 1. p. 346.*

Anno D. 1658. Pòſt Trzebicciũ prehendentẽ Inſulam Cracovienſẽ ſucceſſit *Boguſlaus Leſczyńſki.* Boguſla₉ Leſzczyńſki Theſaurari₉ Regni. *Kochowſki Clim. 2. p. 302.*

Anno D. 1661. Pòſt Boguſlaum Leſzczyńſki Joanni Leſzczyńſki ceſſit *Joannes Leſczyńſki.* minus Sigillum. *Kochow. Cl. 2. p. 500.* Qui fuit Palatinus Poſnanienſis. *p. 345.*

Anno D. 1667. Aſcendente Joanne Leſzczyńſki ad Cancellariatum fit *Andreas Olſzowſki.* Vice-Cancellarius Andreas Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis.

Anno D. 1676. Pòſt Olſzovium ad Primatialem Dignitatem aſcendentem, *Joannes Wielopolſki.* ſucceſſit Joannes Wielopolſki promulgatus Gedani in Senatûs Conſilio. *Załuſki tom: 1. part. 1. p. 693. & 694.*

Anno

Anno D. 1678. Succeſſit Wielopolſcio in Cancellariatum ſuccedenti Joannes Malachowſki Epiſcopus tunc Culmenſis in Comitijs primis Grodnenſib₉. *Joannes Malachowſki.* *Załuſki tom. 1. part. 1. p. 704.*

Anno eodem Malachovio Cracovienſem Inſulam prehendenti ſucceſſit Joannes Gnińſki Palatinus Mariæburgenſis, qui dùm Sigillo potiretur, mutavit cum habitu Statum. *Joannes Gnińſki.* *Załuſki tom: 1. part. 1. p. 710.*

Anno D. 1685. Pòſt defunctum Gnińſcium Sigillum minus tenuit Michaël Radźiejowſki Epiſcopus Varmienſis. *Michaël Radźiejowſki.*

Anno D. 1689. Exiſtente in Primatiali dignitate Radźiejovio collatus Pro-Cancellariat₉ Carolo Tarło Palatino Lublinẽ. *Carolus Tarło.* *Załuſki tom: 1. part. 2. p. 1103.*

Anno

Anno D. 1702. Aſcendente Tarlone, meruit tanto munere inſigniri JOANNES à Słupow SZEMBEK Referendarius protunc Regni.

Joannes Szembek.

Anno D. 1712. Altiora prehendenti Joanni ſucceſſit Caſimirus Bokum Epiſcopus protunc Premiſlienſis.

Caſimirus Bokum

Anno D. 1724. Poſt demortuũ Anno D. 1721. Bokum prehendit minus Sigillum Illuſtriſſimus Joannes Lipſki.

Joannes Lipſki.

JOANNES
à Lipe
LIPSKI.

Nominatus Abbas Claræ Tumbæ.

Obſigna Lipſcianæ Gloriæ præco Fama, quod virtus ſignavit ad meritum, ſubſcripſit ad Gloriam. Joannes eſt.

eſt Vir Nominis ſui, gratioſus. De Domo ſcribitur S. R. I. Comitum, adeóq; de ſtirpe Illuſtriſſimorum eſt. De ejus Nomine Joannem Primatem Regni Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, Conſtantinum Archi-Epiſcopum Leopolienſem, Andream Luceorienſem, Vladiſlavienſem ſucceſſivè Cracovienſem Antiſtitem, dùm Polonia ut Sacros coluit, Doctos ſtupuit, & Sangvine & Eruditione Illuſtriſſimos vidit. Nominis & meritorum Nepos Joannes eſt, qui dùm illos honore conſequitur, meritis anteit, Famâ, virtuteq; præcellit. Non primus hic ſui Nominis eſt, qui Sigillum tenuit, poſt Andream Joannes ſecundus, imò cenſetur ſecundiſſimus, qui inter Primores à virtute, & merito

Ferdinandus III. Imp. fecit Comites. *Hartknoch* p. 569.

Pri-

Primatum obtinet. Pòst Andream minoris, & Majoris Sigilli Signatorem Infulatum, minor honore Joannes, ſed mox tyaris maximus, brevi inter maximos inſulandus. Mirare qui ſpectas, & nominum incidentiam & morum, utriusq; ſigilli præſtes, uterq; Joannes, uterq; merito, virtute ut unus, qui utrumq; ſpectas, cor eorum geminum ſtringe vel unicum divide, unus enim ſpirat quod alter, ambo quod unus. Hoc ſolo diviſi, quod Illuſtriſſimis Nominibus diſtincti, diſtingvuntur ſuis Majoribus non amoribus, alter colitur in altero, uterq; mutuò à ſe ipſo. Minor minoris Sigilli Joannes ſuis Majoribus Major, à quibus dùm excelſum Sangvinem, accepit & Gloriam, eam

majori-

majoribus meritis auxit Nepos, melioremq; eis reddit quàm ab ijs accepit. Maxima Aboriginum memoria, & Gloria eſt, Nepotum merita. Joannes vix adolevit, jam ea ad augem Honoris cumulavit. Dùm Palladi litavit ingenium, erudito ingenio evicit laudem, quæ non aliter terminari voluit, niſi collato Sigillo ex merito. Nè illi acer videretur mundus; ſacer potiùs elegit eſſe, dùmq; vitam pietati devovit, mox pietatem cum vita Sacris Honoribus inſignivit. Cantor Gneſnenſis, Canonicus Cracovienſis, Varſavienſis Cuſtos, demùm dùm Præſidens Tribunalis Regni, vigil præeſſet juſtitiæ, juſto æquitatis ſuffragio, minus obtinuit Sigillum, quod meruit. Sic non ſunt fe-

ſtina

ſtina ſimul faſtigia, ut ſæpe fiant feſtiva. Ad evincendos omnium amores, ſvaviſſimos dirigit mores, quorum ſemper comes comitas eſt, quâ integrum ſibi deviceratLatium, dùm Caput Orbis Romam inviſerat, vidit eum Roma, & inverſo ſui Nominis amore coluit, quem probitas, & modeſtia amare juſſit. Omnibus placet, cui morum integritas placet. Et qui Honore præveniebat ſingulos, à ſingulis honore, & amore præventus, eventus docuit, vix in Patriam redijt, jam ſummis à corde fuit, & ut more ſummorum præeſſet, voto omnium Sigillum accepit, quo plura ſibi ſignaret faſtigia,quem innumera ſignant merita.

De THESAURARIIS Regni in Genere.

In perpolito Poloniæ Senatu dùm verba ponderantur ut nummi, etiam non deeſt, qui ponderatis verbis adijciat nummos. Eſt qui totius Reipublicæ gazophilacij cenſeatur eſſe Cuſtos, qui Theſaurarius paſſim vocitatur ſeu Promus (juxta Cromerum *p.* 508.) & Condus Theſauri Regij, ſymbolorum ſive inſignium Regni, (quæ ſunt Corona Pomum, Sceptrum, Gladius,) ſupellectilis, & redituum Regis, & Reipublicæ, ſcripturarumq; & monumentorum publicorum. Quando alicui

Rex hoc munus confert Thesaurarij Regni, quatuor designantur ex Ordine Senatorio, duo ex Majore, ex minore totidem Polonia, qui omnia ex Regestro, recens creato Thesaurario tradunt, unamq; conscripti Regestri syngrapham Regi, alteram Thesaurario tradunt, tertiam ipsi sibi reservant. Ex Constit: Sigismundi Augusti Anni 1563. *pag. 45.* Conf. Janussow: *l: 4. part. 1. tit. 3. pag. 309.* Fuit & militarium stipendiorum (juxta Cromerum) Solutor, sed Constitutione Anni 1717. ab hoc munere & onere liberatus, dùm singuli Palatinatus hanc in se spartam susceperint.

THESAURARII Regni.

Ab eo maximè tempore computati, quando divisa in varios Ducatus Polonia reuniri cæpit, ab Anno circiter 1360.

DEMETRIUS De Bożydar GORAYSKI.

Quem virtus elevat, Honor eum eminere facit, virtutis enim honor pedissequus est. Eminuit inter Primores hic non postremus, inter non postremos primus. Ingenio dùm excelsus, persvasione potens. Ludovico Hungar: & Polon: Principi charus, imò inter charissimos Primus, apud quem pro Filio suo pariter Demetrio evicit Supremū Regni Mareschalcatum.

Sed semper ancillantis fortunæ comes invidia ést, quæ vel erectos deprimit, vel amatos quondam, invisos facit. Commotus enim contra Demetrium Ludovicus Rex, avita ejus immutavit, arma, fluminibus tribus scyphum cum cane super galeam adjecit Anno Domini 1370. Hic póst fata Ludovici cum partes Jagellonis tenuit, nè Hedvigis Gvilelmo Racusano Principi addictior, eidem nuberet, eundem avertit, imòq; aditum ad eam, nè quid contra Jagellonem fieret, interclusit. Nihil apud ipsum valuit pretium, cui in maximo pretio bonum fuit publicum. Utinam tales parerent sæcula! nullis sæculis periret Patria, quæ toties perit, quoties venales Filios invenit. Demetri-

us non tam sui, & suorum amator, quàm Patriæ, cujus bonum, suum esse reputavit lucrum. Adhuc in Anno 1387. huic muneri præfuit, (juxta Koludzcium p. 102.) imò & Anno 1399. Nobili Cedźik Prochańscio Villas Gruszkę & Zaporoże in vim servitij concesserit. *Okol. t. 1. p. 435. & 436. Gvagninus Annal. p. 336. Bielski p. 272. Strykowski p. 474.*

Licet hic Koludzcius interserat fuisse Anno 1380. Albertum Strzeleccium Thesaurarium Regni, tamen quia plures præfati Authores, Demetrium his Annis fuisse, affirmant, proindè malui plurium, quàm unius sequi sensum.

ANDREAS
De Lubnia

LUBINSKI.

Origine ſatis antiquâ, virtute ſatis-probatâ, agilitate ſatis properâ, dùm excelluit, eminuit. Per multa officia dùm Patriæ ſervijt, theſauro Regni pretium addidit, dùm ſe huic muneri adjecit. Sine pretio eſt, quaſi inæſtimabilis, qui ubi publica debet, lucra privata curat. Ferreus hic Patriæ eſt, qui ſe ex Patriæ bono, ut aureus ſit, ditat. Alienus à talibus Andreas, quem aureum Patria vidit, virtus non lucrum fecit. In cuſtodiendo Patriæ ærario vigil, in diſpenſando moderatus, in colligendo ſtrenuus, quaſi ei hoc ſemper ſufficeret, ut nunquam Patriæ deficeret. Nec ſolo ſic intendit theſauro, ut non etiam negotijs attenderet. Anno

no Domini 1436. Privilegium Pruthenicum vir magni ingenij ſubſcripſit, ut & Patriæ quietem, ſibi Famam inſcriberet. (*Okolſki t. 2. p. 459.*) Nunquam de labore demiſit, quidquid ei commiſit Patria, injunxit Aula, glorioſè perfecit. Stimulo non eguit, qui ſtimulus ad benè agendum alijs fuit. Tales dùm creat Patria, recreant Patriam, dùm & conſilio præſunt, & ſubſidio non deſunt. Non defuit hic unquam niſi cùm deeſſe mortalitas juſſit, raptus communi fato, à fato eripuit immortalitatem. *Okolſki tom: 2. Paprocki p.* 104.

JACOBUS
Ab Inſigni DOLIVA.

(*De quo Paproccius in Nido virtut. p.* 1046.)
Fuit Anno 1459.

De hoc cùm breviter agat Paprocius, brevi & ego eundem expedio ſtylo. De Domo trium Roſarum fuit, ſicq; floruit, ut totus roſeus eſſet. Candorem prætulit, qui non aliter viveret, niſi cuiq; candidus eſſet, Innatâ verecundiâ optimam expolivit naturam, ut pudore ſuffunderetur, quoties vel Sangvine pro Patria, vel conſilio pro bono publico, vel agilitate in Patriæ negotijs non ageret. Tanta merita cùm advertit Princeps, coronavit, dùm cuſtodiendo admovit theſauro, qui legem Patriæ, ut theſaurum cuſtodivit. Non tam enim ære florent Regna, quàm lege, quæ tùm maximè Regna ditat, cùm ſervatur. Hic Jacobus, dùm Regno Fidem, Regi fidelitatem,

Legi

Legi præſtitit obſervantiam, ſumma ſibi in gazophylacium perennantis Famæ intulit merita. *Paproc: ut ſupra.*

JACOBUS DĘBINSKI
Capitan:Sandec:&Biecē.
jam præfuit Theſauro Anno D. 1462.

Ad maxima natus,qui â maximis proceſſit, indolem litavit Aulæ, aulam egregiâ ornavit indole, primò Caſtellanus Malogoſtenſis, inde cæpit, ubi alter deſinit, â Caſimiro Jagellonide Rege ad Regem Bohemiæ Georgium Oratorem egit, cujus incendit animum, ut ab incendijs Villarum & Oppidorum in Bohemia factis, Caſimirum Regem

 Polon:

Polon: (quem de ijs insimulaverat) innocentem faceret. Utq; Regem suum hoc in passu defenderet, singulari duello calumniantes Bohemos in arenam Martis provocavit. *Cromer in Anno* 1460. *fol:* 360. Reduci inde bella geri placuit, qui bellis præsuit. Miles probatus, Dux Militi datus, Crucem Martis extulit contra Crucigeros, quibus ferentes subsidium Germanos & Bohemos per Brandeburgensem Marchiam festinantes, festino passu & ferro sustulit, & à Regni confinijs fugavit, dum præciso hostis capite viam præcidit. Sic sine mora vincunt, qui moras non trahunt. *Cromer fol:* 361. Demùm Anno 1462. creatus Thesaurarius præmium tulit, quod meruit, sed nec & hic pro Patria agere destitit.

Ex Commissione Regis, ratione cædis Andreæ Tęczynij, à Civibus Cracov: perpetratæ, Cives cum Tęczynijs suaviter composuit, stititq; pharsalicum bellum, quod in favilla extinxit. Dignus immortalitate, qui tanta dum mortalis vixit, gessit. *Bielskip.* 457. *Gvagnin. in descript: M. D. L. p.* 56. *Cromer p.* 366. *Okolski tom:* 2. *p.* 589.

JACOBUS
Secundus de Dębiany
DĘBINSKI
Præfectus Cracoviensis.

Non infelicior priore, licèt posterior. Prioris merita suis meritis ad-

auxit. Legationibus clarus, clarior bellis. Jussu Casimiri inter Reges Polon: & Hungar: summopere discordes, litem diremit, dum svaviter composuit. Absente Rege Regnum Minoris Poloniæ administravit, tuncq; Venceslaum in Silesia Ducem Rybnicen: à Ducibus Silesiæ obsessum armatâ manu liberavit, Ducesq; discordes, concordes fecit. Belikam Ducem Exercituum Mathiæ Regis Hungar: in Poloniam irrumpentem, ferro stitit, dum suso ejus cruore victor victo ruborem incussit, quòd malè pacta rumpunt, qui indebitè in aliena irrumpunt. Ad Georgium Bohemorum Regem hæresi infectum, ab hæresi abhorrens Jacobus, non abhorruit hac in re Legatum agere in Anno 1467.

jam tunc Regni Thesaurarius, quem ut altius eveheret meritum, Anno D.1470. fecit Cancellarium, qui tali functus munere ad summum Pontificem egit Oratorem. Dum honorificè suum exegit munus, ex Cancellario Palatinus creatus Sandomiriensis, iterum ad bella manum applicuit, ut triumpharet. Pauco milite arces Belvand, Zywice, & Seflary, quas Comorovius Regi Hungariæ prodere voluit, ipse expugnavit, Belvardum diruit, Zyvecium incendit, Seflaros Marco Ratholdo restituit. Multa pro gloria egit Vir ad omnia natus, plura ageret, si non occumberet. *Cromer p.* 417. *Miechov. l.* 4. *c.* 64. *pag.* . 329. *Okolski tom.* 2. *pag.* 589.

PAULUS JASIENSKI

jam fuit Thesaurarius Anno. 1479.

Et hic bellatorum Filius bellator ipse movit ad arma manus, sub Vladislao Jagellonide miles; sub Casimiro Jagellonide Exercituum Generalis Dux, Hungaricis, Bohemicis, Tartaricis, Pruthenicisq; bellis clarus, ubiq; Martem spiravit, ubiq; triumphavit. Sed quò fortunatior est belli alea, eò inconstantior, dum capit ad Choyniciam arma, à Crucigeris capitur, verùm fortalitio Choynicensi ad deditionem coacto suis redditus, vicem Crucigeris generosè reddidit. Vladislaum ad Regnum Bohemiæ evocatum ipse deducebat,

cebat, ut si nihil precibus efficeret; omnia armis perficeret. Hungariam vix hospes, jam ut hostis, pro Vladislao debellaverat, arces cæperat, irruptiones Tartarorum repressit. Legationes ad Imperatorem, Regem Galliarum & Hungariæ, gloriosè obijt. Demùm tot actis clarus, quot meritis, illa in immortalis famæ inscripsit monumentum. Dignus longiore vitâ, qui vitam Patriæ impendit. Sed nemo sic vivit, ut semper vivat. Mori restat, cui nasci contingit. Obijt hic quinquagesimo sexto Anno mortuus, dignus perenni memoriâ. *Bielski p.* 471. *Starowolski inter Bellat: Sarmat: p.* 115.

JACOBUS ODROWĄZ

Suo-

Suorum Majorum Filius, Meritorum Pater, alijs Major, Avi Christophori Palatini Cracovienſis Nepos, Euſtachij Caſtellani Viſlicienſis Filius, ipſe Supremus Regni Theſaurarius, duorum Filiorum Pater, Dobeſlai Caſtellani Czechovienſis, in quem cùm devoluta, ſorte bona Chlewiſka, Chlewicki dictus. Pater & Staniſlai Caſtellani Zarnovienſis, qui cum bonis Szydłowiec ditatus Szydłowiecki nuncupatus fuit. A Majorum ſuorum procedens Origine, majorem à ſe poſteris reliquit Originem. Unde exdiviſa dupliciter Domus multos & Senatui Proceres, & bellis milites, Nobilitati ingenuos protulit Equites. Magnum eſt à Majorum virtute ſortiri indolem, exſugere probitatem. Hac Jacobus non caruit, quam

quam quoad vixit, ſemper auxit, multumq; habuit, quod tumulo intulit. Obijt Anno 1509. *Jodoc, apud Miechovit: p.* 57. *Okolſki t.* 2. *p.* 304.

NICOLAUS KOSCIELECKI.

Eodem quo Theſaurarius Regni & Montium ſalis Magiſter creatus Anno, ſcilicet 1510. ſuæ ad Suprema Officia capacitatis non poſtrema edidit indicia, dum induſtrius incendium Salinarum Vielicenſium fortuito à fraude, caſu exortum non minus induſtriâ quàm ſuo periculo extinxit, majusq; periculum avertit. Fuſiùs de hoc *Wapovius apud Cromer. p.* 545. Didicit materia-

teriales extingvere ignes, qui domeſtica toties extinxit incendia, quoties diſcordes reunivit animos, ſcintillantes ſopivit iras. Totus in Patriæ obſequijs, in boni publici negotijs totus, quaſi non ſibi ſe natum crederet, ſed alijs. Ingenio nulli ſecundus, qui conſilio erat ſecundiſſimus futura proſpiciens, præſentibus medebatur. Plurimorum Senatorum, ſed plurium Antiſtitum frater & Nepos, illuſtris Domûs lumina ſuis meritis illuſtriora fecit. Suum Stemma à Stemmate *Ogończyk* dicto derivavit; annulum, quem in Inſigni prætulit medium, æternitati ad famam inſcripſit, qui quidquid egit digna æternitate egit. *Okolſki tom:* 2. *pag:* 322. *Waporoſki apud Cromer. ſub Anno* 1510.

ANDRE-

ANDREAS KOSCIELECKI

Alter priori ſucceſſit dignus; pari elogio, qui pari merito ad millena elogia vixit. Caſtellanum egit Voynicenſem, Capitaneum Oświecimenſem, Scepuſienſem, Sądecenſem, Zatorienſem, Bydgoſtenſem, Adminiſtratorem Cracovienſem, Montiumq; ſalis Magiſtrum. Patet eum tantis abundaviſſe meritis, qui tantis abundavit honoribus. Aula enim quæ honores diſtribuit, meritum reſpicit, deſpicitq; eos, qui ſibi viventes, nil Patriæ vivunt. Filiam reliquerat Ducis in Oſtrog Conjugem; habuit & Filium, *Cromero teſte* ſub Anno 1519. qui dum à Parente vitam ac-

 cepit

cepit, Parenti ſimul dum & ſibi vitam eripuit, dum enim è vita Filius exceſſit, preſſus mœrore parens mori cum Filio maluit, quàm orbus vivere. Quid non poteſt innatus amor! cui ſæpè dulciùs eſt mori, quàm amarè ſine prole vivere. Qui plura pro Patria obire potuit, immaturo fato obijt Filij morte mortem ſibi à mœrore adſciſcens. Mors bina quaſi una, fato duos ſuſtulit. Sic qui nimio amori ancillantur, mori ſæpè coguntur. Mortuus juxta *Jodocum p. 70. & Bielſcium p. 529. Anno* 1519. *Die 6. 7bris.*

NICOLAUS ODROWĄZ SZYDŁOWIECKI.

Mul-

Multorum titulorum quia magnorum meritorum Senator, dùm pluribus in Patria inclaruit, plures à Patria capeſſivit faſces. Cum Theſaurariatu Caſtellanum egit Sandomirienſem, Capitaneum Radomſcenſem, Oſviecimenſem, Zatorienſem, Olſztynenſem, Krzepicenſem. Multis indigent, qui multis ſerviunt, & qui alijs ex proprio partiuntur, etiam ipſi ditari de proprio Patriæ coguntur. Hic enim nativus Poloniæ mos eſt, Nobiles à Primoribus vivant, Primores à ſuis Principibus. Nicolaus ut in omnes fuit liberalis, ſic & Regem in ſe expertus liberalem; multa ab eo accepit, qui multa bona pro Patria præſtitit, totum ſe publicis negotijs impendit, qui fortunam cum vita paratus erat expen-

 dere.

dere. Hoc solo infelix, quòd sine mascula prole decessit, si infelix dici potest, qui pro prole famam reliquit, quæ tamdiu vivit, & vivet, quamdiu Orbis, & in Orbe hominum vita stabit. More Mortalium Anno D. 1532. vivere desijt, si dici potest quòd desijt, qui immortalis vivit. *Wapowski apud Cromerum p.* 608. *Okol. t.* 2. *p.* 304. *Jodocus pag.* 204.

ZBIGNEUS SPYTKO TARNOWSKI.

Stanislaum nominat *Paprocki in Nido Virt: p.* 500.

Anno 1532. huic suffectus Muneri.

Eodem

Eodem hic successit Anno, quo prior decessit, paris cum illo indolis, paris virtutis. Ad summa elatos non aliter clarere decet, nisi pariter cum summis. Per meritorum gradus ad horum devenit fastigia. Ivit, quo comes virtutis traxit honos, tractus à pedissequo honore, qui honorem ad se trahere neglexit, qui enim merita respiciunt, non culmina, despiciunt fastigia, eorum enim sequax est titulus, qui maximus est, esse bonum, esse probum. Zbigneus hic dum vitam implevit rectefactis, reliquit factis, nam rectefaciendo instruxit posteros rectefacere. Amussis Nepotum est, Abavorum vita, quâ se regulantur, qui sequi morum vestigia suorũ Aboriginum decernunt. Inter domesticos lares quæstor, inter

vici-

vicinas Martis areas, miles & Mars,dum Thesauro præfuit, non defuit bello, in quo hostilia metere capita ejus meta & terminus fuit. Noluit se bellacem tantùm dici, sed à tota Lechia videri, cupidus gloriæ sed per meritum. In rebus Reipublicæ obeundis vir prudens, & gravis, non tam prolixioribus verbis certare didicit, quàm nervoso sensu. Dignus immortalitate, qui dùm vixit mortalis, immortalia egit. *Wapowski p.* 608. *Bielski p.* 567.

HERMOLAUS
de Bobrek
LIGĘZA.

In Brzeźnica & Dolen hæres,

Magno-

Magnorum meritorum hæres, antiquissimorum Heròum Successor, dùm eorum perrexit vestigijs, maximis in fastigia successit meritis. Ex Castellano Zavichvostensi creatus Sandomiriensis, & Supremus Regni Thesaurarius, adiectas habuit Præfecturas Samborien: Olsztynen: Drohybicen: qui plura de proprio adjecit famæ, quàm accepit. Dum sibi virtutem fecit domesticam, virtus eum sibi elegit hæredem, quem & famæ in præconium daret & immortalitati Heròum inscriberet. Non sic patrio auro præfuit, ut simul & ferro Dux, pariterq; miles non præesset. Hosti ponderosè solvit, dùm illi semper ferreus fuit. Similem magnanimus vidisset Filium, nisi hic immaturis fatis succubuisset, sed orbatus Fi-

lio

lio Pater, supplevit succestricem filij famam, ut & in Filio coronaretur, & Filius pariter per eum. Filiam reliquit magnarum dotum hæredem, quæ Tarloni primò Castellano Vislicien: demùm Samuéli Carolo Duci in Korec cessit in Conjugem. Maxima maritorum dos est optima Conjunx. Sic dum Hermolaus carere vitijs, quæ pessimorum sunt, abundare virtutibus, quæ optimorum sunt dotes, cæpit, ab inevitabili fato captus, dum more Majorum vixit, more omnium obijt. *De illo Okolski t. 2. p.* 480. *Starowolski in Monument. Sarmat. ejus meminit. p.* 418.

SPYTEK
de Zakliczyn

JORDAN.

JORDAN.

Jam fuit Anno 1551.

Vix hic memorandus venit, jam laudandus, qui quot transegit actiones, tot collegit laudes, ad summa natus, summis idq; operosissimis muneribus applicatus, dum strenuè conficienda suscepit, suscepta animosè perfecit. Pugnavit cum hoste & vicit ferro, quo dum non potuit impugnavit animos auro, & devicit. Cum Moschis in diversis locis, ad Dersaviam cum Gedanensibus dum conflixit, vicit. Ad Patriæ limites vigilabat auro, quod ferrum acueret. Insperatam Tartarorum irruptionem, misso in nervum belli auro, Castellano Cracoviensi, stitit, nec ultra sævire hosti in Patrium au-

 rum

rum permisit. Maximè alacres in bella sunt milites, dum fiunt aurati Equites. (*Bielski*) Nec ipse vacavit, dum in hostili terra pro auro famam quæsivit, cum Zamoyscio Moschoviticis bellis operam navavit, & in continuis bellorum pressuris nunquam pressus, perseverare exercitui in debellando hoste dum svasit, non solùm Moschum ad petendam pacem coegit, verùm ingentem universæ Moscuæ terrorem injecit, tunc præsertim, cùm immisso suo Spytkone Jordano, vivo Heròum Marte, in peniciora Rossiæ, victricia arma in ipsam intulit Novogardiam. Sic optimè triumphant qui celeritate hostem occupant. *Bielski p. 594: Okolski tom: 3. p. 227. Warszevic: in Orat. ad Stephanum Regem.*

VA-

VALENTINUS de Dębiany DĘBINSKI.

Nullus inter dignos scribitur, nisi experimento comprobet quòd dignus fiat. Dùm multi probant Patriam, multos probat Patria, ut quos probatos videt, ad altiora assumat. Valentinus à teneris monstravit in indolè, quid futurus esset in matura ætate. Tota obsequia impendit Patriæ, totis obsequijs difficillima confecit negotia. Et ubi alij steterunt, ipse cæpit, nec substitit, donec ad apicem gloriæ & honorum perveniret. Castellanus Biecensis ad Thesauri destinatus Præfecturam,

ctûram, Patriam ditavit, dum fideliter Patriæ proventus, quos percepit, in Patriæ bonum expendit, autumans se maximè ditari, cùm dotaret Patriam. Timuit tamen, nè fiscus ut viscus adhæreret moribus; proinde dignam auro manum retraxit ab auro, maluitq; Cancellarius Regni factus Anno 1563. ponderosis eloquens agere verbis, quàm dives nummis. Et in hoc munere dum grata habuit pondera vocis, altiùs ad Senatûs Curules, vocatus, donec primus & proximus Regi inter Sæculares assideret, qui secundus utroq; nomine, & felicitate diceretur & loco. Ad Consilia natus esse videbatur, qui quidquid dixit, evenit, quidquid svasit, successit. *Vide de illo superiùs hìc inter Cancellarios pag: 17. Bielski*

Bielski pag: 615. Okolski tom: 2. p. 590.

STANISLAUS de Sulejow SOBKOWSKI.

Jam Anno 1569. præfuit Thesauro.

De Familia hic Prochvicorum, Cervum cum Corona in Insigni gestans, multa egit, quæ agenda probitas censuit, multos juvit, quos meritum juvare voluit. Privilegium Indigenatûs Stancarorum cum alijs Proceribus, dum confirmavit, subscripsit. *Okolski tom: 3. pag:* 108. Ut Regios Regniq; proventus fideliter colligendo dispertiret, domestico in sui usum proventu auctus,

Præ-

Præfecturâ ſcilicet Tyſzovecenſi, & Malogoſtenſi. Solers tàm in domeſtico, quam in publico fuit negotio, nam flagitium eſſe cenſuit, alijs ope & conſilio prodeſſe, & ſibi deeſſe, foris ſapere, & ſibi non auxiliari. Multa dexteritatis eximiæ ſpecimina edidit, dùm ea quæ facienda Sarmatico Statori & Nobili erant, facere pro gloria non declinavit. Quid ei negare potuit Patria, qui ſe totum Patriæ non negavit. Felix Regnum quod tales gignit, qui ubi poſſunt ſuccurrunt; ubi debent non deſunt. Non defuit hic quoad vixit, & niſi more mortalium vixiſſet ulteriùs, non defuiſſet. *Meminit ejus Okolſki tom:* 1. *pag:* 76.

HIERONYMUS
â Poray de Buzenin
BUZENSKI.
de Stemmate Roza.

Jam Anno 1572. præfuit Theſauro.

Aliquando virtus inſignes facit, aliquando fortuna felices, quæ quem incipit, promovet, cui invidet, deprimit. Felix hic ſanè eſſet tũ à dotibus, tum à proventibus, niſi ſe inconſtantem monſtraſſet. Quis enim fidelis eſſe cenſetur Regno, qui ſe fidelem non præbet DEO. Fidelitas & fides unico diſtant à ſe paſſu. Hic temerario auſu à Catholica receſſit fide. *Okolſki*

tom: 2. *p.* 640. & dum ab eo pariter, cum DEO recessit fides, multùm ei de fama, de bono nomine decessit, imò ut fatear, etiam de Salute. Quomodo ut ei credatur dignus sit, qui DEO non credit, imò DEUM, benè credere jubentem. Nihil vivit, qui absq; DEO & fide vivit, fidemq; sibi non quam à majoribus accepit, sed quam à pravis moribus neoinventam habet, statuit. Hic licet Religione minimè constans, fortunam tamen constantem expertus. Præfecturas Brzezinensem, Dobczycensem, Krzeczowscensem tenuit, multumq; ex dotibus collegit, utinam pro dote veram legisset fidem. Duobus ex Regina de Witowice Czerna Armorum Novina habuit filios. *Bielski meminit illius pag:* 655. In hoc munere fuit adhuc

adhuc Anno 1578. *Paprocki in Nido virtutum pag:* 60.

JACOBUS ROKOSZOWSKI Ab Insigni Glaubicz.

Præfuit Thesauro Anno 1580.

Excelsi animi est excelsa sapere, nullo deterreri à studio benè merendi. Nulla hic timuit pericula, quin pro Patria subiret, nulla evitabat negotia, quin illa pro gloria conficeret. Nihil difficilè volentibus, nihil contendentibus ad gloriam arduum esse potest. Omnia virtute parantur, animositate superantur. Dùm Thesauro

præ-

præfuit, Salinarum Cracovienſium ſimul Præfectus fuit, ille qui verè conditum ſale dici poteſt habuiſſe ingenium, ſic enim ſeſe temperaverat, ut moderati vir ubiq; diceretur animi. Omnia ut cum ſale accepit, ſic nulli cruda ſalſugo fuit. Dulce Patriæ condimentum Stator cum ſale qui & cruda decoquere, & minùs ſapida Regno condire novit. Solo contentus Oſtrzeſovienſi Capitaneatu, nihil plùs exegit, niſi quo vivere ſufficienter, non verò ſe ditare poſſet, alienus ab illis, qui cùm plurima à Regno poſſident, plura petunt. Amarum eſt colligenti fortunam homini non eſſe avarum. *Okolſki tom:* 1. *pag.* 210. *Illius verò filiæ meminit tom:* 2. *pag:* 325.

JOANNES DULSKI De Familia Prægoniorum.

Jam Anno 1587. præfuit Theſauro.

Eruditus literis, quam excoluit indolem, hanc Aulæ obſequijs immaturus ætate, maturus ingenio conſecravit. Totus à corde Principis Sigiſmundi Auguſti, totum Princeps cordi appreſſit, quem cum Coronato ſuo capite, coronatum faſtigijs habere voluit. Cum corde ſuo Theſaurum Rex obtulit, ut cor Principis cum Theſauro Regni fidus cuſtodiret Achates, eò vigilantiùs, quò intimiùs. Præfecturas adeptus

quinque Branſcenſem, Suraſcenſem, Sviecenſem, Rogoſnenſem, Derſchavienſemq;. Sic quem Principes amant, ſatis habentibus plura addunt, nunquamq; dicunt ſatis. Sigiſmundi III. Electioni poſitivo ſuffragio profuit, dùm ſe ſubſcripſit Anno 1588. Pariter ſequenti Anno ad Indigenatum *Pauli Pyrni* ſuam manum appoſuit ut *legere eſt in Okolſki tom: 3. pag: 215.* Ternas ſibi ſucceſſivo matrimonio copulavit Procerum Domos primò Filiam de Rozen Matrem ſolarum filiarum, demùm Filiam Mniſzech de Magna Kończyce Palatin: Cracovien: Ultimò Oleſniccij, Filiam Unius Filij Matrem. Sic dum crevit honore, fāmâ, nexuq; alti ſangvinis, ima ut mortalis petijt. *Sarnicki in ima ad Proceres allocutio-*

ne

ne in fine, ubi enumerat Primores Regni. Okolſki tom: 2. pag: 531.

JOANNES FIRLEY
Ab Inſigni Lewart.

Jam Theſaurarium egit Anno 1590.

Joannis Palatini Cracovienſis Filius & Joannes ipſe Parens extitit tiarati honoris nempè Henrici Epiſcopi Premiſl: Sic qui clariſſimum à Majoribus derivat Sangvinem, in Filios partitur eundem. Plures exoticas dùm caluit lingvas, omnium exterorum lingvis commendabatur ad gloriam. Sigiſmundo III. ſatis erudito, eruditus ſummopere placuit, à quo primò Theſau-

rariatu

rariatu Regni, pòſt Caſtellanatu Voy-
nicenſi cum Capitaneatu Lublinenſi
decoratus, omnes collegit vires, ut ſe
Patriæ Virum verè Statorem exhibe-
ret. Tempore Interregni in conſve-
to rerum & Ordinum diſturbio à No-
bilitate Palatinatûs Cracov: conſtitu-
tus Legatus, pro benè gerendarum re-
rum Ordine dum fortiter egit, mul-
tùm Patriæ de ſano conſilio provi-
dit. Ad Romanorum Imperatorem
Rudolphum delegatus Orator, non priùs
rediјt, quàm omnia ad mentem Prin-
cipis, ad bonum Patriæ confecit. Con-
fœderatum in Rempublicam ob non
exoluta ſtipendia Militem ut ſedaret,
hæreditariјs bonis ære alieno onera-
tis mitigavit & ſtitit. Sic nec ſibi nec
ſuis proventibus parcunt, qui ſe vive-
re

re è Patriæ bono norunt. Oblatum
Palatinatum Sandomir: acceptare re-
cuſavit. Satis ei honoris fuit, honeſtè
in Patria & pro Patria vivere. *Okol-
ſki tom:* 2. *pag:* 127.

BALTHASAR
De Stanisławice
STANISŁAWSKI.

A literis incepit, antequam ab ho-
noribus. Poſtquam eruditæ Palladi
litavit caput, manus aptavit Marti, u-
triq; feliciter. Dum primò miles mox
ſupra milites eminuit, ſupra centenos
milites conſtitutus Chiliarcha, dùm con-
tra Maximilianum ad Byczynam for-
titer, contra Moſchos ſub Stephano
O Rege

Rege in quovis conflictu aſſiduus audacter, victor ſteterit, nonq; hic agere deſtitit, non ei etiam comes bellatorum obſtitit honor. Primùm à Bathoreo Notarius Campeſtris Exercitùs Regni cum Succamerariatu Sanocenſi, demùm à Sigiſmundo III. Præfectus Culinæ Regiæ, tùm Caſtellanus Sanocenſis creatus, ad extremùm ex Theſaurario Regis Theſaurarius Regni poſt Joannem Firley denuntiatus pro præmio Martij obſequij adjunctâ ſibi Szydłovecenſi, Oſiecenſi & Starogardenſi potitus Præfecturâ, ingentia in ſago, & toga edidit merita. In Civili ſub Sigiſmundo III. tumultu, probatâ militum manu Regi aſtitit, Reginamq; Regiosq; Principes Cracoviæ, à violento defendit tumultu. Sic dum præclara

ad famam edidit facinora, eadem immortalitati inſcripſit ad gloriam bello celebris, & conſilio. Unico felix Filio ſed felici, qui Patris ſecutus veſtigia, Patris aſſecutus eſt gloriam. *Okolſki tom: 2. p. 410. Starowolſki in Monum: Sarmat: p. 496.*

STANISLAUS WARSZYCKI.

Jam legitur fuiſſe Anno 1611.

Famæ hic vixit & perpetuæ laudi, qui quidquid fecit, laudabile fuit. Utramq; ætatem impendit aulæ, primam, dum adolevit in aula Annæ Jagelloniæ, politicis & publicis impendit curis; poſtquam graviter maturuit Sigiſmundo III. ſeſe adjunxit, nec Rex in Sveciam

contendit, quin eum individuum comitem haberet. Prædictum Principem militari Hastatorum, Peditumq; manu proprio collectâ ære tùm in Moschoviticis conflictibus, tùm in civilibus juvit dissidijs, pro Rege mori paratior, quam alteri vivere. Vitam & fortunam pro eo litavit, vicissim à Rege, honore & fortunâ auctus. Postquam à cruda Moschorum Legatione à Joanne Basilide redijsset, munus Supremi Regni Thesaurarij adijt, incomparabilis ipse Regni Thesaurus. Dimiputis per Confœderatum militem Renutis Mensæ proventibus, aliquot Mensibus Regem de proprio sustentavit. Sic largiter rependunt, qui grati Principibus esse volunt. Nec sic profusus fuit in Aulam, ut non profusus fuisset

set in DEUM. Virginum DEO dicatarum Varsaviæ Ecclesiam dùm extruxit, dotando ditavit, multa & alibi pietati impendit. Ex Thesaurario, ut labori parceret & ætati, Palatinus Podlachiæ creatus, vixdum à labore quievit, morte obijt Anno 1616. dignus longiore vitâ. *Piasecki p. 327. Okolski tom: 1. pag: 13. & 14. Starowolski in Monumen: Sarmat: pag: 263.*

NICOLAUS
de Zurow
DANIŁOWICZ
De Stemmate Sas.

Jam Thesauro præfuit Anno D. 1617.

Bellacis Domûs bellica propago, etiam Palladi litavit, ſpiravit Martem. Poſt fata Parentis, ut orbus, fato ſuo obviaret, ex Patria in exteras deviavit Nationes, ut politiem cum literis, dexteritatem cum audacia, pietatem cum probitate exſugeret. Maximè triumphat, quem his natura ditat. Redux in Patriam pro Patria Miles, pro gloria victor, dum & animi, & animoſitatis monſtravit ſpecimen, Capitaneatum pro præmio accepit Chelmenſem, & Drohobycenſem. Nec ori defuit ſvada cùm perſonæ non deerat ingenium. Dum apud Amurathem Turcarum Imperatorem dextrè Legatus effecerat, quòd Patria intenderat, Caſtellanatu Leopol: tum Theſaurariatu Curiæ, mox Theſaurariatu Regni Supremo

mo

mo inſignitus, inſignia ubiq; reliquit ſpecimina; Craſnoſtav: Samborien: Parcov: Bielſcen: Czervonogroden: Capitaneatu auctus. Dum ſic alta ceſſerant virtutibus alto, dum Patriam implebat meritis, pietatem nutriebat largitate, Societatem JESU ut corde, ſovit, ſic ope juvit, dum huic magnificam Lublini Eccleſiam, Orbi ad ſplendorem, Cælo ad gloriam, ſibi erexit ad meritum. Taceo alia loca in quibus cum Cælo ſuam diviſit fortunam, non tacente polo, qui quot merita numerat, tot ei gloriæ adauget. Obijt Anno 1623. *Piaſecki pag:* 410. *Starowolſki in Monument: pag:* 480. *Okolſki tom:* 3. *pag:* 199.

JOAN-

JOANNES NICOLAUS DANIŁOWICZ.

Primus prioris Filius, primus etiam honoris Succeſſor, diceres duos moribus ſibi ſimilium, & amoribus ſingulorum unum eundemq; eſſe, niſi Parens ſeipſum diſtingveret à Filio, (jam ſuo Patre) Majore. Dum illuſtria Parentis ſpectavit acta, egit ſimiliter, ut ſimilis ſpectaretur. Caput ingenio, ma, num Marti aptavit, luctando ſecum cuinam aptiùs cederet in victimam, imò in victoriam ſed utriq; placuit, utrumq; ſecutus & ingenio felix, & bello Victor dici & laudari meruit.

Aulam vix conſpexit jam devicit, ubiq; cuiq; gratus, & comis, teſte Okolſcio. *Triumphator in bello, benevolus in Patria, deſideratus in aula, Regum deliciæ, Nobilitatis amor permanſit.* Sic dum viva Parentis idea factus, poſteris norma fuit. Dum Orbi placuit, nec Cælo diſplicuit, Religione, pietate, liberalitate in egenos proximior Cælo, quàm terris, ſic terras preſſit, ut DEUM coleret, ſpecialis Euchariſtiæ adorator & cultor. Nil ſummos dedecet, adorare eum, qui ſummus eſt, imò qui ab eo incipiunt, ſumma in terris capiunt, ut colantur. Hic dum pietate vixit, ſe felicem in omnibus dixit, cui & Mars paruit, & ſequax Martis victoria. Dum Orbem implevit meritis, Patriam triumphis, Cælum petijt Anno D. 1649.

qui totus Cælo vixit. *Kochowski Clim:* 1. *pag:* 165. *Okolski tom:* 3 *pag:* 200.

BOGUSLAUS Comes à Leszno LESZCZYNSKI.

Post fata prioris, eodẽ successit An: 1649.

Altæ de Sangvine tot ferè Senatorum, quot virorum stirpis, altæ tot meritorum, quot rectèactorum propaginis, Nobilem in Regno, sed supra Nobiles, Statorem in Senatu, sed supra Proceres, virtute, dexteritate, ingenio, consilio eminentem, vidit Patria, stupuit Polonia, adoravit vicinia. Quot consilia Stator porrexit, quot verba Generalis primùm Majoris Poloniæ, & Ma-

reschalcus Nuntiorum dixit, protulit tot pondera vocum, non tam auro quàm immortalitate pensanda. (*Vide Kochowscium Clim:* 1. *p.* 40. & 64. & 80. & 165.) Dum Patrio Thesauro præfuit, proprium in Patriæ bonum Thesaurum profudit, se ratus ditiorem esse cùm non deesset. Omnium dotes in se collegit, qui omnium virtutum compendium fuit. Nativa prudentia, præscita futurorum consequentia in eo excelluit, ut nunquam fallere visus, quidquid de futuris Regni eventibus conjecturare est auditus. Maximè colligebat opes, dum eas in Nobiles dispertiebat. Et dum à Domo Austriaca auxiliares pro Regno & Rege Joanne Casimiro conduxerat copias, pro merito & præmio post Trze-

 biccium

biccium Minore Regni decoratus Sigillo Anno 1658. Utinam plures tales Sarmatia ederet viros, nunquam Regno deeſſent vires. *Kochow: Clim:* 2. *p.* 302.

JOANNES CASIMIRUS KRASINSKI.

Avito Sangvine, à quo derivavit Nominis magnitudinem, innatâ virtute, à qua immortalem participavit gloriam, dum inter cæteros eminuit, inter plures excelluit, Ivit per meritorum ſeritam ad alta faſtigia, quæ cùm ſequebantur invitum, coronabant dignum. Et licèt magnum ſit infortunium magna fortuna, quæ alludendo ſummis, ſæpè

pe eludit, illi tamen ſic conſtanter ancillabatur, ut nec muneri faſtidium, nec perſonæ odium, ut aſſolet, procrearet. Si quod maximè munus in Polonia, odijs & lingvis expoſitum, certè non aliud, quàm onus Theſauri, in quem cùm oculi vertuntur omnium, citò ab ipſo Quæſtore avertuntur animi, dum plùs, quàm habet, habere putatur, vel ubi habendum eſt dicitur, non habere. Procul Joannes fuit à livore, qui humanitate certando, maximum ſibi lucrum tulit ex aliorum amore. Colebatur ab omnibus, qui ex merito ſuo dignus cultu fuit. Comitatem in loquendo, affabilitatem in gerendo munere præſetulit, nec aliam ſibi colligebat gazam, quàm omnium amorem, ut in omnium gereretur pectore,

ctore, qui gratiosus omnibus Joannes videbatur. Nec proprio defuit ære, Patriæ, dum illud in defectu profudit, ubi necessum fuit. Sic se & sua Patriæ litant, qui à bono Patriæ vivunt.

ANDREAS MORSZTYN De Lelivarum Gente.

Jam fuit Anno 1670.

Familia in Regno ut antiqua, quippè Tarnovijs, Pileccijs, Jarossławscijs agnata, sic de Republica benemerita; dum multos in toga Patriæ edidit Catones, plures etiam Marti litavit Heròas, qui ut Orbem famâ implerent, implêrunt Orbis famam gloriâ. Inter quos dum multi

multi eminebant, Andreas supra alios eminuit, dum Aulæ litavit operam, ab aula varijs admovebatur negotijs. Dum Referendarium Regni egit, inter cæteros ad Tractatus cum Moscho egit Commissarium (*Kochowski Clim: 3. pag: 121.*) Et dum ex merito ad Thesauri Regni admotus claves, quibus jam Anno 1670. disponebat, in pluribus pro Patria negotijs sudavit, & alsit. Intrepidus animi veritatem in Senatu disserere nunquam exhorruit, arte facundiæ, svaviq; ore dicendi paucioribus verbis, sed valido sensu, vota sua, Sententiamq; complexus dicebat. Sic dicere amant, qui non tam verbis prolixi, quàm sensati sunt. Demùm in officio pertæsus (ut suppono) laboris, & dissidij, Auro comite mutavit

vit auram, dum Poloniam reliquit, Gallias petijt ibiq; mori elegit, dum in Patria vivere renuit. *Meminit ejus Załuſki tom:* 1. *pag:* 239.

MARTINUS
à Zamoyście
ZAMOYSKI
De Gente Jelitarum.

Digni Nominis, digniq; Sangvinis, dignum ad excelſa ſubjectum faſtigia meruit, qui merita poſuit. In ſua indole monſtravit, quo gradu ad alta eſſet conniſurus. Bene Aulæ Regiq; probatus, approbationem ſui à tota ſumpſit Aula. Dum Caſtellanus Leopo-

lienſis creatus, Senatum Stator ingreſſus, quibus Patria eguit, multa pro Patria egit, conſilio gravis, judicio præſtans. Quàm felix res eſt nativa prudentia rectis conjuncta moribus! Theſauro admotus, pro augendo Theſauro non tam perorare quàm litigare cæpit cum Vladiſlao Łoś Pomeraniæ, pòſt Margæburgenſi Palatino, cum quo nec Regis Authoritas, nec Commiſſionum dexteritas, nec Tribunalium Theſauri toties lata deciſio ſopire diſſidia potuit, utroq; ſibi jus in contributiones Pruſſiæ immediatè ad ſe adſerendas vendicante. Tandem ſopito aliquantisper diſſidio, Martinus dum à lite quievit, à morte præventus requievit. Anno Domini 1689. Menſe Majo. Hæc eſt æqualis ſors mortalium, ut licèt

multi ſupra æqualitatem vivant, æqualiter tamen cum cæteris mori coguntur. *Załuſki tom:* 1. *parte* 2. *pag:* 1013. & *pag:* 1144. & *pag:* 708.

MARCUS MATCZYNSKI.

Eodem poſt priorem Anno, eodem ut prior Principis ſuffragio hic à Palatinatu Bełzenſi ad Theſaurarij Supremi tranſlatus claves, & ex merito ſui, & ex amore Principis: quem Jupiter amat, propiùs accedere jubet, ut ditet & honoret. Totus, cor Principis Joannis III. rapuit, quem Princeps ſupra cæteros dilexit, & evexit. Nec mirum, quòd ei Regni Theſaurum concredidit, apud quem maximus Theſaurus,

rus, Princeps fuit, cui ſe totum in fidele effudit obſequium, pariter Rex in conſtantem ejus amorem. Ubiq; Majeſtatis adſtes, & variantis fortunæ comes, nec proſpera nimis extulêre nec adverſa à Principe amovêre. Et juſtè ſummis dignus erat amoribus, qui moribus grandis, judicio, prudentiâ præſtans excellebat. Et cùm maturè expendiſſet magis invidioſum, quàm obſequioſum eſſe munus ſuum, nè pro laborioſo obſequio livorem emeret, qui famam quæſijt, & gloriam, Theſaurariatui Regni ceſſit, Palatinatu Ruſſiæ ex manu faventis Principis ſuſcepto Anno D. 1692. Meliùs ſibi perſpicax providit, qui alienus ab aviditate, & quod conſequens eſt, à cenſura eſſe voluit, eligens potiùs minùs habere, quàm plura

ra habendo, odia & ſuſpicionem incurrere. *Załuſki tom: 1. part: 2. pag: 1146. & 1261.*

HIERONYMUS S. R. I. Princeps LUBOMIRSKI.

Magni flumen Oceani Srzeniavita eſt, nunquam aliter creſcere novit, niſi ex ſummis, grandi etiam Sangvinis profluvio, nihil ſpirare didicit niſi ſumma. Palladi & Bellonæ pari cultu litavit, dum ſe utriq; impendit. Eques & Miles Maltenſium comes monſtravit in mari, quàm fortiter Polonus influxit Srzeniava, ruitq; in Turcas, ut obrueret, non aliter deformatum Ottomanæ

manæ lunæ incendio Byſtonem eluere voluit, niſi Polono in eum Martis diluvio. Dum ſic Marte ſpirat, Patriâ ornatur togâ, Mareſchalcali ſcilicet Curiæ Scipione, antequam Ducali clavâ, antequam clavibus Theſauri admotus Anno 1692. inter pretia Regni ſe pretium exhibuit, dum conſilio, & Marte & adfuit, & profuit Patriæ. Suſcepit Theſaurariatus munus Anno D. 1692. quod poſt decennium ſub feliciter Regnante Auguſto II. alteri ceſſit, à clavibus Ducali idq; ſupremæ Clavæ admotus, ferrum præelegit auro, qui Marte ferreus fuit. Neſcit alios nutrita bellis Polonia gignere, niſi à fortibus fortes. Neſcit hic ab adverſis frangi ſed erigi, imò ut adverſa frangeret, ſeipſum fortiter Dux belli oppoſuit. De-

niq; gestorum magnitudine, Consiliorum efficaciâ in civili dissidio, in hostium conflictu, sic se gessit, ut & diviso in partes exercitu & hostes terreret, & Patriam tueretur. *Zaluski tom: 2. pag:* 1261.

RAPHAEL
Comes à Leszno
LESZCZYNSKI
Vieniavita.

Summorum ab Avis & Abavis Procerum stirps summam in herba monstravit Orbi indolem, Patris virtutem contrahens, Filius Patre major,. Ad publica natus, publicis innutritus vixit.

Dum tanto subjecto decoravit Patriam, decoratus à Patria minoribus tamen infra sua merita honoribus, sed majoribus in posteris. Jam Subdapifer, Dapifer, Incisor, jam Vexillifer Regni, Mareschalcus Comitiorum Colligationis, quâ Germania, in Germanica Vienna ab hoste Turcico liberata, per Polonos, Polonis liberatoribus ut æviternam inscripsit memoriam, sic ei efficaciter in Comitijs pro Colligatione agenti debet gratitudinem. Grata pro industrio labore Patria, Calissiensi, mox Posnaniensi, demùm Generalatu Majoris Poloniæ cum Palatinatu insignivit Lanciciensi, dignum majore præmio, quem maximum meritò proclamavit fama, & virtus. Magnus ad Portam Ottomanicam Legatus, dum proprio fortu-

ſortunæ diſpendio, ſplendidioris ſupra cæteros ingreſsûs fecit Majeſtatem, auxit Polonæ Majeſtati gloriam, ſibi famam. Stupuit Byſton ingredientis pompam, ſed magis decoram gravi Maieſtate perſonam, quam dum advertit, ſeriam in negotijs induſtriam in agendo, in evincendo diſertam, fortem in periculo, celerem in conficiendo, liberalem in præmiando, cæpit colere Poloniam, quæ tales nutriret, qui Patriæ immortalem enutrirent laudem. Ad extremum poſt tot faſtigia Theſaurarius Regni Anno D. 1703. altiùs ſucceſſiſſet, niſi immaturo fato obijſſet, dignus longiore vita, qui totus in rem Patriæ vixit, non ſibi; ſed vivit in poſteris dum in coronata Galliæ Nepte, & ipſe poſt funera Avus coronatur,

Załuſki

Załuſki tom: 3. *pag.* 224. & 265. & 274. & 439.

JOANNES GEORGIUS in Prebendow PREBENDOWSKI.

Age Theſauri ſcrutinium calame. Theſaurus Poloniæ JOANNES GEORGIUS eſt, Annorum & Senatorum Neſtor, antiquus dierum, meritorum antiquior, cujus vita, norma ſæculorum eſt. A teneris Patriam ſovet, qui in Patria Senator, & Miniſter crevit, & uſq; ad ſummum gloriæ adoleſcit. Aureus jam eſt, qui ferreus fuit, aurum nunc

R The-

Theſauri Regni cuſtodit, qui ut ſalutis publicæ cuſtodiret pretium, ferro pro Patria egit. Sub Chocimo enim quinque occiſorum Colonellorum, vices intrepidus Colonellus agens, tot poſuit trophæa, quot Turcica meſſuit & calcavit capita. Scribunt in ſæculorum memoriam Staviſcij, Novogrodenſes, Severienſes campi, memoriale meritorum JOANNIS non atro exaratum liquore, ſed candido pro Patria Sangvine, ubi jam Tartaros, jam Moſchos è campis fudit, è limitibus eliminavit. Notum gloriæ vulnus accepit, dum periculum bene audax ſubijt, nè vulnera pateretur Patria, illa in ſe ſuſcepit, quaſi mallet non vivere, quàm læſam in minimo Patriam videre. Sed non novit periculum, qui pericula pro bono

no publico non devitat. Reſtitutus Patriæ incolumis JOANNES, JOANNI Patria, hæc eundem videre aliter erubuit, niſi in Purpura Senatorem. Egit itaq; primò Caſtellanum Culmenſem, mox Palatinum Mariæburgenſem, demum Theſauro admotus, qui totus Patriæ Theſaurus eſt. Sic emeriti in uno ſtare neſciunt, qui ſemper altiùs ad gloriam procedunt. Qui alti ejus Sangvinis indagat profluvia, mare interminatum reſpiciat, neceſſe eſt. Thracia quondam PRIBANDORUM Patria, primum eſſe PREBENDOVIANÆ dedit Origini *teſte Plinio l. 4. hiſtor: Natural:* ubi non aliter cæperunt, niſi regendo, non aliter regnârunt Eneſæ, niſi ſemper ad gloriam optimè incipiendo. Polonia Major PREBENDOVIORUM

VIORUM Sedes cæpit esse, jamq; Anno 1444. honorum & bonorū Possessores adoravit, *ut testantur Acta Terrestria Posnaniensia*, primumq; eos Camenenses & Osnaburgenses sibi devoverunt Insulæ, *teste Speringio*. Si decus generis spectes, Viva Imago Patris JOANNES GEORGIUS, JOANNIS GEORGIJ corona Pater PETRUS, Mater CATHARINA KROKOWSKA, de tot insignibus Regni Heroibus Heroina. Avus Illustrissimi Thesaurarij JOANNES Judex Terrestris Lemburgensis, hujus Conjunx PRISCA PERCHOWSKA Avia Illustrissimi. Proavus JACOBUS Intimus Consiliarius Statuum Pomeraniæ, Proavia LUCIA JACKOWSKA. Abavus JOACHIMUS Generalis Exercituum Daniæ,

Abavia HEDVIGIS MORTESKA. Atavus NICOLAUS Capitaneus Kiszoviensis. Atavia ELISABETH SZCZAWINSKA Capitaneis Mirachoviensis. Hujus NICOLAI Progenitor BARTHOLOMÆUS Capitaneus Novensis, Socia thori ANNA CEMOWNA Castellanis Elbingensis. BARTHOLOMÆUM verò Orbi edidit ex MATHIA PREBENDOWSCIO Capitaneo Pucensi EMERENTIANA GRUDZINSKA Castellanis Rogosnen: quæ directo lineamine in Illustrissimum influit Pronepotem JOANNEM GEORGIUM, qui cùm tot Heroûm censetur Filius & Nepos, etiam ipse jam Avum agit, cùm enim ex Illustrissima FLEMINZANKA, Magni Stabuli Præfecti M. D. L. Sorore, ediderit HENRIETTAM

DOROTHEAM Filiam, Conjugem Celsissimi RADZIWIŁŁ Palatini Novogrodensis, hæc bono publico Orbi produxit Filium Celsissimum MARTINUM RADIVILIUM directè Nepotem Illustrissimi Thesaurarij, cujus tantus Sangvis & merita non centum, solùm ætatem Annorum, sed memoriam merentur sæculorum.

De Thesaurarijs Curiæ Regni agere non est hujus loci, siquidem eos hic producit pagina, quos honor adlegit Senatui, Senatus honori. Quia tamen modernus Illustrissimus Dominus FRANCISCUS MAXIMILIANUS OSSOLINSKI *Thesaurarius Curiæ Regni jam meritorum suffragio, jam fideli erga Principem obsequio*

quio promotus, pridem in Senatoria Curuli (quam in manu habuit) considere & potuit, & meruit, & debuit, sed modestè renuit, meretur proinde honorem, qui honorem ex innata modestia subterfugit. Sit itaq;

FRANCISCUS MAXIMILIANUS à Tęczyn OSSOLINSKI.

Maximus maximorum Nepos MAXIMILIANUS est, tot Illustrissimorum Senatorum Successor, quot Avorum, Atavorum Sangvis, grandia sua dum auget merita, illorum premit vestigia, qui-

quibus non aliter vivere libuit, niſi ſemper bene mereri. Satis dicere Meritiſſimi in Polonia, clariſſimi Legationibus in Europa GEORGII OSSOLINII Cancellarij Regni Nepos eſt, nonnè ad augem tanti Nominis ſufficit ad gloriam? nihil de ejus deceſſit gloria, imò plus meriti adauxit ILLUTRISSIMUS THESAURARIUS. Primâ indolê, poſtquam Palladi litavit, exteris inclaruit, dum gentes inviſit, vidit eundem Europa & ſtupuit, quòd tales Polonia ablactet, qui Europæ ſtupori ſint & admirationi. Svavi cordium devictione exteras coronavit nationes, viciſſim amore coronatus ab illis. Dum ſic & ſvavi ore, & morum comitate redijt in Poloniam, Cordium, & Catonum facilè Princeps, cor Princi-

pis in ſui devicit amorem, cui ſeipſum in fidele litavit obſequium. Multa, pro Principe egit, qui ſemper totus Principis fuit. Nomine Sereniſſimi Auguſti II. dum egit Patrinum (in Baptiſmo Szeremethi Moſchoviæ Exercituum Ducis filij, in Pomerania,) quid non egit, ut pro gentis gloria, pro Regis Majeſtate id exprimeret, quod in commiſſo haberet. Toties ad publica Comitia Nuntius dum Catonem egit, ſemper facundus laudem meruit, quaſi redivivum in Nepote dixiſſes GEORGIUM Cancellarium. Proinde Anno 1722. Equeſtri Ordini Mareſchalcus præfuit tam gloriosè, quàm ſollicitè egit, ut optimè quæ cæpit, finiret. Duorum Filiorum ex ILLUSTRISSIMA MIĄCZYNSKA Palatini-

da Voſyniæ Pater, poſteritati ad gloriam dignam relinquit prolem, ut hæc poſteris ad laudem ſæculis ideam in ſe tanti exprimeret Patris. Perennet itaq; in Filijs Pater, in Patre Filij, digni cum eodem immortali gloriâ.